VNVS
TRANSIT

64 — 1
34

LIBRARY
OF THE
THEOLOGICAL SEMINARY,
AT
PRINCETON, N. J.

DONATION OF
SAMUEL AGNEW,
OF PHILADELPHIA, PA.

Letter...
No.
March 25th 1858

Case, Division
Shelf, Section
Book,

BX
5139
.N68
1853
c. 2

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/catechismwritten00nowe

NOWELL'S CATECHISM.

The Parker Society.

Instituted A.D. M.DCCC.XL.



For the Publication of the Works of the Fathers and Early Writers of the Reformed English Church.

A CATECHISM

WRITTEN IN LATIN

BY

ALEXANDER NOWELL,

DEAN OF ST PAUL'S:

TOGETHER WITH

THE SAME CATECHISM

TRANSLATED INTO ENGLISH

BY

THOMAS NORTON.

APPENDED IS A SERMON PREACHED BY DEAN NOWELL BEFORE QUEEN ELIZABETH AT THE OPENING OF THE PARLIAMENT WHICH MET JANUARY 11, 1563.

EDITED FOR

The Parker Society,

BY

G. E. CORRIE, D.D.

MASTER OF JESUS COLLEGE, CAMBRIDGE.

CAMBRIDGE:

PRINTED AT

THE UNIVERSITY PRESS.

M.DCCC.LIII.

CONTENTS.

PAGE

MEMOIR i

Fac simile of the Title of the first Edition of Nowell's Catechism . . . . . i*

NOELLI CATECHISMUS 1

Prima Pars. De Lege et Obedientia 7

Secunda Pars. De Evangelio et Fide 26

Tertia Pars. De Oratione, et gratiarum Actione . . . 64

Quarta Pars. De Sacramentis 83

Vocabula nostratia, et loquendi formæ Christianorum propriæ, etc. 99

Fac simile of the Title of the first Edition of Norton's Translation of the Catechism 105

NOWELL'S CATECHISM 113

The First Part. Of the Law and Obedience . . . 120

The Second Part. Of the Gospel and Faith . . . 141

The Third Part. Of Prayer and Thanksgiving . . 183

The Fourth Part. Of Sacraments 205

APPENDIX 221

INDEX 231

PRINCETON
THEOLOGICAL

MEMOIR.

Alexander Nowell, the son of John Nowell, Esq., of Whalley, in the county of Lancaster, was born in that parish sometime in the year 1507 or 1508: educated at Middleton in the same county, and at the early age of thirteen, was admitted of Brasen-Nose College, Oxford. Of that society he afterwards became fellow; and very late in life (1595) was for a few months President of the College. In 1543 he was appointed Master of Westminster School[1]; and in November, 1551, was made prebendary of Westminster on the death and in the room of Dr Redmayn, Master of Trinity College, Cambridge.

On the accession of Queen Mary, Nowell was returned (probably through the influence of the Earl of Devon) as one of the burgesses to represent the borough of Loo in the parliament which met in October 1553. A committee of the House of Commons, however, declared him to be ineligible to be a member of that house, because of his "being a prebendary of Westminster, and thereby having a voice in the Convocation House." But unless Nowell were the Proctor elected to represent the Chapter of Westminster in Convocation, he would not have "a voice in the Convocation House" merely because he happened to be a prebendary of Westminster. Considering, therefore, that Dr Tregonwell, a zealous papist, who was also a prebendary of Westminster, was allowed to retain his seat in parliament, the ejection of Nowell from that assembly may be ascribed to his known attachment to the Reformation[2].

Of this attachment Nowell gave decisive evidence in the following year: for when the persecuting spirit of Queen Mary

[1] Carlisle Grammar Schools, II. 114.
[2] Carte, Hist. of Engl. III 295.

and to the refutation of that fable, therefore, "A Reproofe written by Alexander Nowell of a Booke entituled 'A Proofe of Certain Articles in Religion denied by M. Juell,'" &c., is directed. Nowell gives as a reason for proceeding no further in answering Dorman, "because the Bp of Sarum in the Answer he was preparing to Harding's would sufficiently confute the rest of Dorman's book, for that the latter had written little or nothing that was not taken from Harding[1]." Before the end of the year Dorman put forth "A Disproofe of M. Nowell's Reproofe," which was followed in 1567 by Nowell's "Confutation as well of M. Dorman's last Boke, entituled 'A Disproufe,' &c. as well as of D. Sander his Causes of Transubstantiation;" Nowell having, during 1566, been employed in writing and publishing the continuation of his Reproof, in which his object chiefly was to vindicate the supreme authothority of Christian princes in causes ecclesiastical as well as civil within their own dominions, "by M. Dorman maliciously oppugned." Nowell's controversy with Saunders arose out of an attack which the latter had made on an assertion in the "Reproof of Dorman's Proof," to the effect that "all the papists put together would never be able to shew cause why the words 'I am the true Vine' did not prove a transubstantiation as well as 'This is my body[2].'"

The work, however, which has identified the name of Nowell with the Church of England, is the Catechism reprinted in the present Volume. Among the important business to be brought under the consideration of the Convocation which met in 1562, it was advised that "there should be authorised one perfect Catechism for the bringing up of the youth in godliness, in the schools of the whole realm; which book," it is added, "is well nigh finished by the industry of the Dean of St Paul's:" and that "the said Catechism being once approved by the learned in the Convo-

[1] Nowell's Confutation, pp. 26, 27.
[2] Reproof, &c. p. 103. 2nd Edit.

cation-house, may be authorised to be taught also by the Universities, and to the youth wheresoever they be taught their grammar in any private men's houses[3]." Accordingly, 5 Feb., a committee of the upper house, consisting of Jewell and three other bishops, was appointed to examine a book called "The Catechism." On the 3rd March, the prolocutor of the lower house of Convocation returned to the upper the *Catechismus Puerorum*, as having been unanimously approved. Moreover, in a letter dated June 22, 1563, Nowell writes to Sir W. Cecil, to the effect that 'whereas the copy of the Catechism which he had caused to be written out for his Honor, to whom the book was dedicated, came to the hands of the bishops and clergy assembled in the late Convocation (that of 1562), and by reason that certain places were by their judgments altered, was interlined and blotted, he (Nowell) had caused it to be copied out again, and had sent it to his honor, not now in his own name, *as afore, but in the name of the clergy of the Convocation, as their book, seeing it is by them approved and allowed*[4].'

It will be observed, however, that there is a want of definiteness in the terms by which the book submitted to Convocation is described. It is called "The Catechism," when referred to a committee of the upper house; whilst the book approved unanimously by the lower house is "*Catechismus Puerorum*." It is remarkable, too, that when Nowell put forth, in 1570, the Catechism which is here reprinted, he did not claim for it any synodal authority. He dedicated it indeed to the Archbishops and Bishops of England, and submitted it to their judgments; but it was merely in the hope that the book, when known to be sanctioned by their high authority, would become more extensively useful. For these, and other reasons which might be mentioned, it has not unreasonably been doubted whether the Catechism approved and allowed by Convocation were the Catechism contained in the present volume. The

[3] Strype, Ann. 1562, I. i. 473. [4] Strype, Ann. I. i. 526.

From that time until his death, which took place on 13 Feb. 1602, the Dean was frequently occupied in preaching on great public occasions, and at the funerals of the nobility; and of some of his sermons notes taken by contemporaries are still in existence.

Besides the Catechisms, the only works of importance left by Nowell are those which have been already mentioned. Among his acts of public beneficence may be recorded the founding of a Free Grammar School at Middleton, in Lancashire, and of several scholarships in Brasen-Nose College, Oxford. Of these and other interesting particulars connected with this great man, a full account is given in his Life, written in the early part of the present century, by the Rev. Ralph Churton.

Thomas Norton, the translator of Nowell's Catechism, is generally considered to have been of the profession of the law, and in later life to have been solicitor to the city of London. If he be the same person who wrote the letter to Calvin, which appears among the "Original Letters" published by the Parker Society, he had been tutor to the children of the Protector Somerset. He is said to have been a contributor to the Earl of Dorset's "Mirror of Magistrates;" and to have assisted that nobleman in the composition of the tragedy of Gorboduc. Warton, however, is of opinion that the identity of style to be observed throughout the whole of that play renders it improbable that Norton had any hand in it. Norton, also, is said to have versified twenty-seven of the Psalms in the version of Sternhold and Hopkins. In a copy of that version, printed in 1581, the rendering of Psalms li. and liii. certainly bears the initials T. N.; but to twenty-six others the letter N. only is attached. Strype speaks of a *minister* named Thomas Norton, who gave his advice about the Conference with Campion; who took

notes of that Conference; and furthermore advised with Whitgift respecting the "Admonition to Parliament:" but it is much more probable that the party thus mentioned by Strype was the translator of Nowell's Catechism.

Norton is said to have died about 1584.

It remains to be stated that Norton translated from the second edition of the Latin which appeared in 1570: for his translation which bears that date omits a passage[1], the Latin of which is found in the edition which appeared June 16, 1570, but is not found in the other Latin edition of that year. In the reprints of the translation which appeared in 1571, and subsequently, the passage in question occurs.

Aug. 1854.

[1] See p. 170, line 2 from the bottom.

CATECHISMVS,

ſiue prima Inſtitutio, Diſci=
PLINA QVE PIETATIS
Christianæ, Latinè explicata.

Qui ſimul eloquio linguam formare Latino,
Et vera mentem Relligione cupis:
Hic liber, atque labor votum dabit vnus vtrunque,
Commoda ſic vno bina labore feres.

Londini,
IN OFFICINA REGINALDI
Wolfij, Regiæ Maiest. in Latinis
Typographi.

ANNO DOM. M. D. LXX.
XVI. CALEND. IVL.

Reverendissimis in Christo Patribus, ac Dominis, D. Archiepiscopis, Cantuariensi, *et Eboracensi, aliisque reverendis patribus, Episcopis* Ecclesiæ Anglicanæ, vigilantissimis fidelissimisque *pastoribus.*

Quum mente tota in hanc curam incumbendum, omnemque adeo operam in primis adhibendam esse existimem, ut pietatis doctrina, quanta fieri potest sinceritate, pueris, qui sunt Reipublicæ quasi seminaria, tradatur, ne vel teneri ipsorum animi pravis opinionibus imbuantur, vel ab iis, quæ recta sunt, discendis eorum mentes obscuritate nimia avertantur, aut retardentur: pro ea qua patriam juventutem benevolentia prosequor, statui omni ope atque opera mihi enitendum esse, ut illius pia studia promoverem, et Christianæ religionis summam ratione, atque compendio ad puerilem captum non incommodo, dilucide atque explicate proponerem. In quo Catechismo (sic enim nostri vocant) non putavi minutis interrogatiunculis, brevibusque responsis, quasi punctis quibusdam, quod proposui, efficiendum esse: neque satis esse, nudis tantum assertionibus, asseverationibusque universa breviter simpliciterque affirmare: uisi causas etiam aliquas, rationesque rerum afferrem, atque subjicerem. Et quo major fides atque authoritas rebus adjungeretur, testimonia Divina ex sacris literis in margine libri passim notavi, quibus sibi quisque, vel aliis cum hærent, satisfacere possit. In hoc etiam Catechismo curam et diligentiam adhibui, ut incorrupta latini sermonis integritas, quoad ejus fieri posset, ubique servaretur: ut latinitatem pariter, atque pietatem uno eodem labore pueri nostri addiscere possent. In paucis tantum quibusdam, vel singulis, vel continuatis, atque conjunctis verbis, quæ nostra sunt propria, et Christianæ religioni peculiaria, tametsi Ciceronis, et proxima illi ætate latinis hominibus inaudita, sinceræ nostræ potius pietatis, quam emendatæ loquutionis rationem habendam esse existimavi:

itaque in contextu quidem orationis ea non mutavi. Verum ne qui latine et pure loqui volunt, quicquam vel hac in parte desiderarent, ubi a communi more verborum latinorum discessum fuerit, et quibus ea vocabulis, atque loquendi formis posse explicari putem, in fine libri commonstravi. Quod autem orationis genere fuso, atque profluente potius, quam exili atque jejuno utor in hoc Catechismo, doctissimorum ex veteribus judicium, consiliumque in eo sum sequutus: qui quum ubertatem quidem orationis ætate, styloque facile depasci posse putent, siccitatem ejus puerilibus ingeniis, non minus quam teneris plantis soli sterilitatem, noxiam esse arbitrantur. Quam etiam ob causam lectissimos verborum, sententiarumque flosculos undique decerptos, maxime ex Ciceronis hortulis, transtuli atque inserui in hunc Catechismum, illis tanquam stellis quibusdam orationem notans atque illuminans. Nam ut de tota religione pure et emendate, ita de quibusdam etiam capitibus copiose splendideque putavi dicendum esse: ut permagni res momenti atque ponderis, verborum, sententiarumque floribus conspersæ, puerilibus sensibus blandientes, et quasi odorum suavitates afflantes, illorum animos illaberentur jucundius, facilius perciperentur, ac semel memoriis, pectoribusque juventutis insidentes, hærentesque penitus, et quasi infixæ perpetuo retineventur atque custodirentur. Non defuturos ergo arbitror, qui lenitatem et æquabilitatem orationis alicubi requiret, et desiderabunt: ut quibus unus orationis sonus, idemque perpetuo stylus placebit. Quod si quærentur etiam libellum, dum ea quæ paucis cognosci possent, pluribus sunt verbis amplificata, justum modum magnitudinemque excessisse: cogitent omnia pueris quam apertissime planissimeque esse explicanda: qui quum in scholis tam multos annos sedere soliti sint, fere ut latine tantum loqui discerent, id eos consequi ex pietatis Christianæ libris ne invideant, quod ex poetarum profanis, fictisque, et interdum impiis, atque impuris fabulis doceri antea solebant. Sed et ipsis brevitatis amatoribus statui morem gerere, eundemque hunc Catechismum edere exiguo libello, quam potest fieri brevissime, ita arctatum, ut arctius fere astringi non poterit, in quo magna parvis, longa brevibus, lata angustis, multa paucis permutata reperient: ut quibus hic liber, ut productione longior, non placebit, libellus ille ut contractione brevior, non displiceat. Verum cum in Catechismis fere omnibus ea Christianæ religionis capita explicentur, quæ Symbolo Apostolorum, Decalogo, et Oratione

Dominica continentur, non est in illis, ut sane nec esse potest, usque adeo magna in tradendi ratione varietas. Quid enim pie et utiliter de præcipuis nostræ religionis capitibus excogitari potest, quod ab aliquibus, ac sæpe quidem a multis illorum, qui eadem antea tractarunt, dictum jam non fuerit. Et qui Decalogum, Symbolum Apostolorum, et Orationem Dominicam interpretandum sumserit, eundem, quem in ipsis rebus invenerit ordinem, nisi perturbare permiscereque omnia velit, necessario sequi oportet. Alii quidem primo loco de lege, secundo de fide tractarunt: alii, ne similes per omnia viderentur, contrarium in his ordinem, quod sane pertenue discrimen est, sunt sequuti. Nam de Oratione, et Sacramentis post legem, atque fidem omnes fere tractarunt. Alium ergo ordinem instituere, qui non sit jam ab aliquo præoccupatus, nemo certe, nisi omnem omnino ordinem velit invertere, ullo modo potest. Hæc mihi hoc loco putavi esse commemoranda, quod existimem non defuturos, qui et eadem me, et eodem etiam ordine multa, quæ sunt ab aliis quibusdam antea perscripta, tradidisse in hoc Catechismo, conquerentur. In quo sane injurii æquis omnibus videri possunt, quum quod immutari recte non queat, non esse mutatum causabuntur. Hunc Catechismum Reverendissimi patres, viri omni doctrina, et virtute ornatissimi, qui summum dignitatis gradum in Ecclesia tenentes, sacris præestis, et rebus præsidetis Ecclesiasticis, vestro judicio permitto: quem si amplissimi ordinis vestri authoritate comprobatum, juventus nostra in manus sumserit, summo id Reipublicæ Christianæ commodo futurum esse, in spem maximam, et quemadmodum confido, certissimam, verissimamque adducemur.

Vestri studiosissimus, observantissimusque,

A. N.

NOELLI CATECHISMUS.

MAGISTER. AUDITOR.

Magister. Quum præceptorem discipulis suis alterum patrem, parentemque, non corporum, sed animorum esse oporteat; ad officii mei rationem pertinere video, charissime Fili, non tam literis te atque moribus liberaliter instituere, quam mentem tuam animumque tenerum bonis opinionibus et vera Religione imbuere. [a]Puerilis enim ista ætas non minus præceptis sanctis ad pietatem, imo multo etiam magis, quam ingenuis artibus ad humanitatem est informanda. Quamobrem consentaneum putavi, quæstiunculis quibusdam tecum agere, ut certo sciam num recte an secus in ea re studium operamque posueris.

Præceptoris officium.

Pietatis pueriliis.

[a] Deut. iv. 9, 10. et xxxi. 12, 13. Psal. lxxviii. 3, 4, &c. Matt. xix. 13. 2 Tim. iii. 15.

Auditor. Et ego, Præceptor venerande, quantum ea, quæ me ex sacris literis edocuisti, animo percipere, et memoria custodire potui, quantumque audita reminisci et recordari in præsenti possum, quæsitis a te libenter respondebo.

M. Age igitur, dic mihi, mi Fili, quænam ea sit Religio quam profiteris.

A. Eam, Præceptor venerande, Religionem profiteor cujus author magisterque est Christus Dominus, quæque ob eam ipsam causam proprio et vero nomine, Christiana appellata est; ut et qui eam profitentur, [b]Christiani nuncupati sunt.

Christiana Religio.

Nomen ab authore.

[b] Act. xi. 26.

M. Agnoscis igitur te Christianæ pietatis et Religionis cultorem, ac Christi Domini nostri atque Præceptoris discipulum?

A. Id equidem agnosco, atque [c]ingenue et libere profiteor; quin et universæ [d]fœlicitatis meæ summam in eo pono, tanquam in summo hominis bono, ut sine quo conditio nostra quam quorumvis brutorum multo esset infœlicior futura.

[c] Rom. x. 9, 10.

[d] Psal. i. et xxxiii. 12. Joan. iii. 18, 36.

M. Religionis ergo atque pietatis Christianæ, cujus est gravissimum sanctissimumque nomen, vim et naturam mihi definitione aliqua breviter explicari velim.

Definitio.

A. Religio Christiana est [e]verus piusque Dei cultus, et observatio præceptorum illius.

M. Unde eam discendam esse putas?

A. Non aliunde profecto quam ex cœlesti Dei ipsius [f]verbo, quod nobis sacris literis descriptum tradidit.

M. Quænam sunt ea scripta, quæ verbum Dei, et sacras literas nuncupas?

A. Non alia quam quæ per [g]Mosen et Prophetas sanctos, Dei optimi maximi amicos, divini Spiritus instinctu, in Veteri Testamento primum, deinde clarius in Novo Testamento, per [h]Dominum nostrum Jesum Christum Dei Filium, atque sanctos ejus [i]Apostolos numine Dei afflatos divulgata sunt, et ad nostram usque ætatem integra [k]conservata atque illæsa.

M. Cur verbum suum Deus ita nobis Scripturis manifestare voluit?

A. Quoniam Dei optimi maximi voluntatem, in cujus [l]cognitione atque erga eum obedientia vera pietas sita est, ipsi ex nobis, quæ cordium nostrorum sunt [m]tenebræ, intelligere non possumus; misertus nostri Deus eam nobis [n]patefecit, atque illustravit, illustratamque in utriusque [o]Testamenti volumine, quæ Sacræ [p]Scripturæ dicuntur, reliquit; ne [q]incerti huc illuc ferremur, sed per cœlestem ejus doctrinam veluti aditus quidam nobis in cœlum daretur.

M. Cur Dei verbum Testamenti appellatione nuncupas?

A. Quia in Religione suscipienda caput esse constat, intelligere quæ sit [r]voluntas Dei immortalis, testamenti vero nomine non voluntas solum, sed et [s]suprema etiam, atque immutabilis voluntas significatur; monemur ne aliud in [t]Religione sequamur aut quæramus amplius quam a Deo ibi docemur; sed ut unus est verus Deus, ita unus sit unius Dei pius cultus puraque Religio. Alioqui novas nobis quotidieque [u]commentitias Religiones fingeremus, et sua cuique genti, sua cuique civitati, sua cuique homini esset Religio. Imo non Religionem et veram pietatem, virtutum omnium initium atque fundamentum, sed superstitionem mendacem pietatis umbram, ducem ad res gerendas haberemus; id quod ex priscarum [x]gentium in rebus alioqui humanis sapientium variis innumerisque non Religionibus, sed superstitionibus plusquam anilibus ipsa est luce clarius.

M. Omnia ergo ad pietatem salutemque necessaria in verbo Dei scripto contineri affirmas?

[e] Deut. iv. 1, 2. et x. 12. Psal. cxix. 4. Matt iv. 10. Joan. iv. 24.

[f] Psal. i. 2. et lxxviii. 1. et cxix. toto. Joan. v. 39. 2 Tim. iii. 15.

[g] Exod. xxxii. 15, 16. Deut. iv. 1. Luc. xvi. 29, 31. et xxiv. 27, 44. 2 Pet. i. 20.

[h] Joan. i. 5, 9. et viii. 12. Heb. i. 1, 2.

[i] Matt. xxviii. 20. Joan. xx. 22. Act. ii. 4. Eph. iii. 5.

[k] Esai. xl. 8. Matt. v. 18. Luc. xvi. 17.

[l] Matt. vii. 21. et xii. 50. Heb. x. 36. 1 Joan. ii. 17.

[m] Joan. i. 5. 1 Cor. i. 21. Eph. iv. 17, 18.

[n] Sap. ix. 16, 17. Act. xxvi. 18. 1 Pet. ii. 9.

[o] Gal. iv. 24. Heb. viii. 6. et ix. 15.

[p] Matt. xxvi. 56. 2 Tim. iii. 16.

[q] Matt. xxii. 29. Marc. xii. 24.

[r] Matt. vii. 21. et xii. 50.

[s] Gal. iii. 15, 17

[t] Deut. iv. 2, 5, 32. et xxviii. 14.

[u] Matt. xv. 3, 4, 5, 6, 9.

[x] Deut. xii. 31, 32. et xiii. 3 4 Rom. i. 23.

A. [y]Certe: esset enim intolerabilis impietatis atque dementiæ existimare, vel Deum imperfectam doctrinam reliquisse; vel homines, quod ille non perfecerit, absolvere potuisse. Itaque Dominus severissime interdixit, [z]ne verbo suo quicquam adderent vel subtraherent; neve ab eo ad dexteram vel sinistram deflecterent.

[y] Deut. xiii. 4, 18. Psal. xii. 6. et xviii. 28. et xix. 6, &c. Joan. iv. 25. 1 Cor. i. 19. et ii. 6. Gal. i. 8, 9. Col. i. 25.
[z] Deut. iv. 2, 40. Prov. xxx. 6. Esai. xxx. 21.

M. Si hoc verum sit quod asseris, quorsum tam multa in Conciliis et conventibus Ecclesiasticis sæpius decernuntur, et a doctis hominibus in concionibus docentur, vel scriptis traduntur?

A. Hæc omnia, vel ad obscuros verbi Dei locos interpretandos, et ad emergentes controversias tollendas; vel ad externam Ecclesiæ gubernationem constituendam pertinent; non ut nova de Religione dogmata prodantur. [a]Omnia enim ad salutem necessaria, quomodo videlicet pietas, sanctitas, Religio, pure et caste Dei numini tribuendæ sint; quæ præstanda sit Deo obedientia, ad quam solam piæ vitæ ratio instituenda est; quæ collocanda in Deo fiducia; quomodo item invocandus sit Deus, illique accepta referenda bona omnia; quæ in mysteriis Divinis peragendis observanda ratio; hujusmodi, inquam, ex verbo Dei discenda sunt, sine cujus cognitione ista vel ignorantur prorsus, vel absurdissime fiunt, ita ut infecta esse præstiterit. Sicut et Dominus ipse alicubi testatur, [b]Scripturarum ignorationem errorum omnium esse matrem; ipseque etiam docens, verbum Dei [c]Scriptum fere allegat, et nos ad discendum ex illo relagat. Ob hanc igitur causam, et antiquitus in templis verbum [d]Dei publice legebatur, adhibitis etiam, si quando illorum copia erat, interpretibus, sicuti ex sacris historiis liquet; et Dominus ipse in cœlum mox ascensurus, Apostolis, quos selegerat, in mandatis præcipue dedit, [e]ut universos orbis terrarum mortales verbo suo instituerent; et ejus exemplum insequutus Paulus, [f]in Ecclesiis constituendos esse decrevit, qui populum docerent; quod intelligeret fidem, et quæ ad pietatem pertinent omnia, ex lectione [g]et auditione verbi Dei pendere: Itaque [h]Apostolos, Doctores, Prophetas, et Interpretes, in Ecclesia Dei maxime esse necessarios.

[a] Deut. xxxii. 4. Psal. xix. 6, 7, &c. Psal. cxix. toto. 2 Tim. iii. 15, 16, 17.
[b] Matt. xxii. 29. Joan. xx. 9. Act. xiii. 27.
[c] Matt. xix. 4. et xxi. 13. Marc. vii. 6. Luc. x. 26. Joan. v. 39.
[d] Act. xiii. 15, 27. et xv. 21.
[e] Matt. xxviii. 20. Marc. xvi. 15. Joan. xxi. 15.
[f] Act. xiv. 23.
[g] Rom. x. 14, 17.
[h] 1 Cor. xii. 28. Eph. iv. 11, 12.

M. Hos ergo Doctores atque Interpretes audiendos esse censes?

A. Non minus quam ipsum Dominum si præsens adesset, quoad ea tantum tradant, quæ a Domino acceperunt. Quod

et ipse testatur dicens, [i]Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. Imo et his verbi sui præconibus [k]ligandi atque solvendi potestatem dedit, ut quorum peccata in terris illi per Dei verbum condonarint, vel detinuerint, ea vel condonata, vel detenta essent in cœlo.

M. An istos satis est semel de Religione disserentes audivisse?

A. [l]Christi nos discipulos usque ad finem, vel potius sine fine esse oportet. Parum est ergo incœpisse, nisi perseveres. Et quæ nostra est [m]tarditas atque oblivio, sæpe docendi atque admonendi sumus, extimulandi sæpe, et quasi auribus vellicandi; semel enim, aut raro audita, facile excidere solent. Et eam ob causam (ut ante dictum est) [n]singulis sabbatis (sicut ex historiis sacris apparet) confluente simul multitudine, legebatur publice verbum Dei, et ejus interpretes, si qui adessent, audiebantur. Quæ consuetudo et in nostris hodie Ecclesiis ex Apostolica adeoque divina ordinatione est recepta.

M. An ergo verbum Dei peregrina lingua, et populo ignota legendum esse censes?

A. Id vero esset Deum pariter, atque ejus populum crasse irridere, atque utroque impudenter abuti. Nam cum Deus verbum suum omni ætati [o]atque sexui clare legi mandet, ut omnes videlicet intelligant, et discant timere Dominum Deum suum, sicuti ipse in verbo suo diserte testatur; ridiculum cum primis esset, verbum Dei ad ejus populum docendum ab ipso Deo destinatum, populo lingua ipsi incognita, unde nihil discere possint, prælegere. Sed et divus Paulus de ea re clare disserit; [p]itaque concludit, indoctum populum non posse respondere Amen, ad eam gratiarum actionem, quam non intelligat; sed legentem audientesque mutuo sibi [q]barbaros futuros, si quid in cœtu sit dictum, quod non ab his qui intersunt percipiatur; [r]seque adeo malle in Ecclesia Dei quinque verba intellecta loqui, quam decem millia non intellecta.

M. Satisne ergo munere nostro defuncti erimus, si operam dederimus, ut audiamus, intelligamusque verbum Dei?

A. Minime; verbum siquidem Dei non audire modo et intelligere, sed [s]firma animi assensione, ut veritatem Dei de cœlo delapsam, amplecti, et ex animo amare, [t]dociles item nos

[i] Matt. x. 20, 40. et xxix. 19, 20. Luc. x. 16. Joan. xiii. 20.
[k] Matt. xvi. 19. et xviii. 18. Joan. xx. 22, 23.
[l] Matt. x. 22. et xxiv. 13. Luc. ix. 62. Rom. xi. 22. 1 Cor. ix. 24. 2 Tim. iii. 14.
[m] Jud. iii. 7. Psal. cvi. 7, 14. Jer. ii. 32. Luc. xxiv. 25.
[n] Act. xiii. 15, 27. et xv. 21.
[o] Deut. iv. 10. Deut. xxxi. 11, 12, 13. Jos. viii. 35. 2 Par. xxxiv. 30.
[p] 1 Cor. xiv. 16.
[q] 1 Cor. xiv. 11.
[r] 1 Cor. xiv. 19.
[s] Psal. i. 2. et xix. 8, 9, 10. Marc. xvi. 16. Joan. xx. 27, 29, 31. Act. xiii. 48.
[t] Deut. xxxi. 12. 2 Par. xxxiv. 31. Luc. xi. 28. Joan. v. 24. Jac. i. 21, 22, 23.

eidem præbere, mentesque nostras in ejus obsequium formare oportet; ut cordibus semel infixum, altas illic radices agat, fructumque piæ vitæ ad ejus regulam institutæ proferat; ut ita in salutem nobis, sicuti destinatum est, cedat. [u]Constat ergo omni studio enitendum esse, ut in eo legendo, meditando, audiendo, tum privatim, tum publice, proficiamus; proficere autem nullo modo possumus, si ignota nobis lingua proponatur.

[u] Deut. xvii. 19. Jos. i. 9. Psal. i. 2.

M. Verum an legendo tantum Dei verbum illudque et ejus doctores sedulo audiendo, ad eam, quam dicis, perfectionem perveniemus?

A. Quia Dei sapientia est, frustra in ea, vel docenda, vel discenda, homines operam ponerent, nisi [x]Deus magisterio Spiritus sui corda nostra instituere dignaretur; sicuti Paulus docet, [y]frustra vel plantari, vel irrigari, nisi Deus incrementum dederit. Itaque ut sapientiam Dei, in ejus verbo absconditam, intelligamus, [z]ardenti precatione a Deo petendum est, ut Spiritu suo mentes nostras, tenebris [a]plusquam Cimmeriis offusas, illustret; hunc enim cœlitus demissum [b]Doctorem in omnem nos veritatem perducturum Dominus ante promisit.

[x] Deut. xxix. 4. Luc. xxiv. 25, 27, 45, 46. Act. xvi. 14. [y] 2 Cor. iv. 6. 1 Cor. iii. 7.

[z] Psal. lxxxvi. 11. et cxix. 33, 34, 35. [a] Marc. vi. 52. Joan. i. 5. 1 Cor. ii. 14. [b] Joan. xvi. 13.

M. Universum illud Dei verbum in quas præcipue partes distribuis?

A. In Legem, et Evangelium.

Partitio verbi Dei.

M. Hæc duo quomodo distinguuntur?

A. Lex, officia tum pietatis erga Deum, id est, verum Dei cultum, tum [c]charitatis erga proximum, describit; exactamque nostram [d]obedientiam severe requirit, atque exigit; et obsequentibus vitam æternam pollicetur; minus vero obsequentibus, minas proponit, et pœnas, adeoque mortem perpetuam denunciat. Evangelium [e]Dei promissiones continet, et violatoribus Legis, modo eos admissi pœniteat, propitium fore Deum, per Fidem in Christum, pollicetur.

[c] Matt. xxii. 36. Marc. xii. 30, 31. 1 Joan. iii. 23. [d] Lev. xxvi. toto. Deut. v. 32. et xxviii. toto. Joan. xiv. 15, 21, 23. [e] Marc. i. 15. et xvi. 16. Luc. v. 32. et xxiv. 47. Joan. i. 17. Act. ii. 38. et xiii. 38. Rom. i. 16. Gal. iii. 13.

M. Verbum ergo Dei, voluntatem nos ejus docere, et omnia ad salutem necessaria continere, in eoque meditandum esse diligenter, ejusque Doctores atque Interpretes sedulo audiendos, super omnia vero Doctorem nobis cœlitus precatione esse impetrandum, quid item sit illud, et ex quibus constet partibus, hactenus a te est explicatum.

Rerum divinarum summa.

A. Ita est.

M. Quoniam igitur ex verbo Dei, tanquam ex fonte quodam dimanat Religio Christiana, ut antea verbum Dei, ita

nunc et Religionem ipsam, quæ ex verbo Dei haurienda est, mihi in suas Partes, et veluti membra, distribue; ut, quo referenda sint singula, et ad certas quasi metas dirigenda, liquido statuamus.

Religionis partitio.

A. Ut verbi Dei, ita et Religionis duæ præcipuæ sunt partes: [f]Obedientia, quam Lex, perfecta justitiæ regula, exigit; et Fides, [g]quam Evangelium, quod promissiones de Dei misericordia complectitur, postulat.

[f] Lev. xxvi. 3. 14. Deut. xi. 26. Joan. xiv. 15, 21, 23, 24.

[g] Marc. i. 15. et xvi. 15, 16. Rom. i. 5, 16. et iii. 22. et iv. toto.

M. Videntur tamen aut plures, aut non eædem esse Religionis Partes; aliis enim interdum nominibus in partiendo utuntur Sacræ literæ.

A. Verum id quidem est; nam alicubi in Fidem [h]et Charitatem, alicubi in [i]Pœnitentiam et Fidem Religionem totam partiuntur; pro Obedientia enim aliquando [k]Charitatem, quæ per Legem in Deum atque homines perfecta requiritur; aliquando vero, quia neque obedientiam, [l]neque charitatem, quam debemus, præstamus, [m]Pœnitentiam, peccatoribus ad Dei misericordiam consequendam maxime necessariam, substituunt. Quibusdam, qui plures partes volunt, prima est, [n]Cognitio debiti officii ex Lege, et damnatio per Legem ob desertum repudiatumque officium; secunda, [o]Cognitio fiduciaque liberationis ex Evangelio; tertia, [p]Precatio imploratioque Divinæ clementiæ atque auxilii; quarta, [q]Gratiarum actio pro liberatione cæterisque beneficiis Divinis. Sed utcunque nominibus varient, res eædem sunt, et ad duas illas præcipuas partes, Obedientiam et Fidem, in quibus omnis Religionis Nostræ vis et natura continetur, cætera omnia referuntur. Quum enim invocationem et gratiarum actionem, et istis conjunctissima mysteria Divina, quæ Sacramenta dicuntur, plerique ut partes adjungant, hæc quidem prioribus illis duabus continentur. Nemo enim vel fiduciæ vel obedientiæ officio erga Deum defungi recte potest, qui non premente eum aliqua necessitate, ad ipsum confugere, et omnia illi bona accepta referre, cumque usus et tempus postulat, mysteriis ejus sacris rite uti velit.

[h] Gal. v. 6.
[i] Joan. iii. 23.
[i] Marc. i. 15.
[k] Matt. xxii. 37, 39. Marc. xii. 30, 31, 33.
[l] Psal. xiv. 2. Rom. iii. 9.
[m] Matt. iv. 17. Marc. i. 15. Act. ii. 38.
[n] Rom. iii. 20. et vii. 7.
[o] Rom. iii. 21. Gal. ii. 16.
[p] Psal. xxxii. 5, 6. Rom. x. 12.
[q] 2 Cor. i. 11. et ii. 14. Eph. v. 4, 20. Phil. iv. 6. Col. iii. 17.

M. Assentior quidem tibi, quod omnia ad has duas partes referri possint, si quis accuratius ista, et paulo subtilius pertractare cupiat. Verum quoniam accuratissima partiendi ratio a pueris non est exigenda, malim ut in plures partes, pingui quadam Minerva, Religionem distribuas, quo dilucidior res tota sit. Crassius ergo, modo apertius, ista tractemus.

A. Quando ita visum est pingui (ut dicis) Minerva mecum agere, possem non incommode ex duabus quatuor partes efficere, Religionemque totam in Obedientiam, Fidem, Invocationem, et Sacramenta distribuere.

M. Age ergo, quum nostram hanc Religionis tractationem quam explicatissimam esse cupiam, huic ordini insistamus; ut primo loco de Obedientia, quam Lex requirit; secundo, de Fide, quæ Evangelii promissiones respicit et amplectitur; tertio, de Invocatione, et gratiarum actione, quæ sunt conjunctissimæ; quarto et ultimo loco, de Sacramentis mysteriisque Divinis percontemur.

A. Et ego, Præceptor venerande, sicuti ex te audivi, et studiose, ut est puerorum captus atque memoriola, didici, interroganti tibi libenter respondebo.

Prima pars, de Lege et Obedientia.

M. Quum ergo [r]Obedientia nostra, de qua primum nobis dicendum est, ad normam Legis Divinæ sit revocanda, necesse est ut Legis vim atque naturam universam prius excutiamus; qua cognita et explorata, quæ, et qualis nostra debeat esse Obedientia, ignorari non potest. De Lege itaque quid sentias, dicere ordire.

A. Legem Dei justitiæ, quæ ab homine exigitur, [s]perfectam et omnibus numeris absolutam regulam esse sentio, quæ [t]jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. In hac Lege Deus omnia ad voluntatem [u]et arbitrium suum revocavit, ut nulla ipsi neque erga se, neque erga homines pietas probari possit, nisi ea sola, quæ ad hujus regulæ amussim per omnia quadret. Frustra ergo mortales, suo sibi [w]arbitratu, pietatis rationes confingunt. Legem enim suam Deus, ut certissimam, tum cultus Divini, [x]tum officiorum erga homines regulam, duabus [y]descriptam tabulis nobis proposuit; simulque [z]Obedientia nostra nihil, quod quidem in terris fiat, sibi gratius acceptiusve esse demonstravit.

M. Prior tabula quo est argumento?

A. De pietate nostra [a]in Deum tractat, et prima quatuor Legis Præcepta complectitur.

M. Secunda vero?

A. De charitatis sive dilectionis [b]mutuæ inter homines officiis; quæ sex præcepta continet. Ita in summa [c]decem

[r] Lev. xxvi. 3,14. Deut.x. 12. et xxviii. toto. Psal. cxix. 4. Luc. x. 25. Joan. xiv. 15, 21, 23, 24. Jac. ii. 10.

[s] Deut. iv. 2. et v. 32. et xxxii. 4. Psal. xix. 6,7.

[t] Exod. xx. toto. et Deut. v. Esai. xxx. 21.

[u] Deut. vi. 17, 18. et xiii. 18. Rom. xii. 2. Eph. v. 17. et vi. 7. Col. i. 9.

[w] 1 Reg. xv. 22. Esai. xxix. 13. Matt. xv. 3, 9.

[x] Matt. xxii. 36, 40. 1 Joan. iii. 23.

[y] Exod. xxxi. 18. et xxxiv 28, 29. Deut. iv. 13.

[z] Deut. v. 32. et x. 12. et xi. 26. Matt. xix. 16. 1 Joan. iii. 24.

[a] Deut. vi. 5. Matt. xxii. 36, 37.

[b] Matt. xxii. 39. Rom. xiii. 8, 9. Gal. v. 14.

[c] Exod. xxxiv. 28. Deut. iv, 13.

omnino præceptis tota Lex absolvitur; cujus rei gratia, Decalogi nomen Legi inditum est.

M. Recita mihi primæ tabulæ primum præceptum.

A. DEUS AD HUNC MODUM EFFATUS EST. [d]AUDI ISRAEL; EGO SUM DOMINUS DEUS TUUS, QUI TE EDUXI EX DOMICILIO SERVITUTIS ÆGYPTIÆ. NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME.

[d] Exod. xx. 1, 2, 3. Deut. v. 6, 7. Psal. lxxxi. 8, 9. Mich. vi. 4.

M. Cur de se, atque beneficio suo, quædam primum Deus commemorat?

A. In primis illi curæ fuit, ne legum a se latarum [e]existimatio mox per contemptum imminueretur; ideoque quo major authoritas accederet, isto veluti exordio utitur: Ego sum Dominus Deus tuus; quibus verbis [f]conditorem se, Dominum ac servatorem nostrum, omnisque boni authorem esse docet; jubendique authoritatem jure optimo ex legislatoris dignitate sibi vendicat; et Legi suæ ex bonitate gratiam conciliat; atque ex utroque pariter necessitatem nobis obsequendi summam imponit, nisi et in potentissimum [g]rebelles, et in optimum ingrati esse velimus.

[e] Lev. xxvi. toto. Deut. vi. 6.

[f] Deut. x. 12. Psal. cxxxv. 3. et cxxxvi. 1. Esai. viii. 13. et xliii. 1. Mal. ii. 10. 1 Tim. vi. 14, 15, 16.

[g] Mal. i. 5, 6.

M. At cum Israelem nominatim appellet, ac de rupto servitutis Ægyptiæ jugo diserte mentionem faciat, an non ad populum Israeliticum proprie pertinet?

A. Israelitas quidem corporali [h]servitute, per servum suum Mosen exemit Deus; at suos omnes ex spirituali peccati [i]servitute et diaboli tyrannide, qua alioqui pressi oppressique jacuerant, per Filium suum Jesum Christum asseruit. Hoc liberationis genus ad omnes [j]peræque homines pertinet, qui in Deo liberatore fiduciam omnem collocant, illiusque legibus [k]pro virili parent; Quod ni faciant, summæ eos ingratitudinis [l]reos fore, hac beneficii summi commemoratione denunciat. Cogitet enim quisque [m]Satanam, infernum illum Pharaonem suo capiti imminentem; [n]peccatum item fœdissimum esse lutum illud in quo turpissime volutatur; et [o]gehennam, Ægyptiam servitutem teterrimam, sibi ob animi oculos proponat; et libertatem hanc quam dixi, unice sibi [p]expetendam esse, ut quæ sua maxime intersit, facile intelliget; qua tamen indignissimus erit, ni libertatis [q]authorem omni obsequio atque obedientia colat.

[h] Exod. xii., xiv.

[i] Joan. viii. 34, 36. Rom. vi. 20. Col. i. 13. Heb. ii. 14, 15. Act. x. 38.

[j] Rom. iii. 22.

[k] Joan. viii. 5, 11. 1 Joan. iii. 21.

[l] Psal. lxxviii. 13, 14. et ciii. 1. Jer. ii. 6.

[m] Luc. xiii. 16. 2 Tim. ii. 26. 1 Pet. v. 8.

[n] Psal. xl. 2. Esai. lix. 3. 2 Pet. ii. 20, 22. Apoc. xvi. 15.

[o] Matt. xiii. 40. Luc. xvi. 23. 2 Pet. ii. 4.

[p] Matt. xvi. 26. Act. xxvi. 18. Rom. xvi. 20.

[q] Esai. xvii. 10. Joan. xiv. 15. Rom. vi. 13. 1 Cor. vi. 19.

M. Perge.

A. Confirmata jam Legis suæ authoritate, sequitur ipsum præceptum: NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME.

M. Hoc quid sibi velit, dicito.

A. Idololatriam, [r]quam penitus odit Deus, vetat atque prohibet.

[r] Lev. xxvi. 1, 13. Deut. xii. 3. Jud. xi. 6, 16.

M. Idololatria, aut Deos alienos habere quid est?

A. Est in locum unius [s]veri Dei, qui se palam nobis manifestoque in sacris literis ostendit atque patefecit, alias vel personas vel res constituere, et ut Deos [t]quosdam nobis fingere et comminisci, quas ut Deos colamus, et in quibus spem nostram ponamus atque collocemus. Jubet enim ut [u]unum se tantum Deum agnoscamus; id est, ut quæ ad ejus majestatem spectant universa, [x]quæque soli illi debemus, eorum ne vel minimam quidem partem transferamus alio; sed suum illi honorem cultumque soli atque in solidum exhibeamus; cujus quicquam ad alterum deferre summum esset nefas.

[s] Deut. vi. 4, 5. Marc. xii. 29, 32.

[t] Esai. xliv. 17. Dan. iii. 5, 7, 12, 15.

[u] Deut. iv. 35, 39. et vi. 4, 5. Marc. xii. 29, 32.

[x] Deut. x. 20. Luc. iv. 8. Act. x. 25, 26. Apoc. xix. 10.

M. Quæ sunt illa, quæ Deo peculiariter debemus, in quibus cultum illi proprium et peculiarem situm esse dicis?

A. Deo quidem innumera debemus, verum universa ad quatuor capita non inepte referri possunt.

M. Quæ sunt ea?

A. Ut ipsius majestati [y]summam venerationem, summum ejus [z]bonitati amorem atque fiduciam præstemus, ad illum confugiamus, [a]et ipsius imploremus opem, illique nos et [b]nostra omnia accepta referamus. Hæc ut nulli alii, ita illi soli exhibenda sunt omnia; si illum solum Deum [c]nostrum habere, illiusque populus peculiaris esse volumus.

[y] Deut. x. 12. 1 Par. xvi. 28. Psal. xxix. 2, &c. et xcvi. 6, 7.

[z] Matt. xxii. 37. 1 Joan. iv. 17. et v. 10.

[a] Psal. l. 16. Matt. vi 9.

[b] Psal. xxxiv. lxvi. cxlv. et toto libro Psal.

M. Ultima illa verba, CORAM ME, quid significant?

A. Non posse nos vel semel ad defectionem spectare, nisi Deum [d]testem habeamus; nihil enim tam abditum atque reconditum esse, ut eum latere possit. Præterea non apertæ solum [e]confessionis honorem, sed et cordis intimam ac sinceram pietatem requirere sese Deus indicat; ut qui occultarum sit cogitationum cognitor atque judex.

[c] Lev. xxvi. 12. Deut. vii. 6. Psal. xcv. 6, 7. et xxxiii. 12. Tit. ii. 14. Heb. viii. 10.

[d] Psal. xxxiii. 14. Esai. xxix. 15. Jer. xvii. 9, 10. Heb. iv. 13.

[e] Esai. i. 16. et xxix. 13, 15. Matt. v. 8. et xv. 8, 18.

M. Satis ergo dictum esto de primo præcepto; jam ad secundum pergamus.

A. [f]SIMULACHRUM ULLIUS REI, QUÆ AUT SUPRA IN CŒLO, AUT INFRA IN TERRA, AUT IN AQUIS INFRA TERRAM SIT, NON EFFINGES; EA NON VENERABERIS NEQUE COLES. NAM EGO SUM DOMINUS DEUS TUUS, [g]ZELOTYPUS, QUI PARENTUM INIQUITATEM ETIAM IN LIBERIS VINDICO, AD TERTIAM USQUE QUARTAMQUE PROGENIEM OSORUM MEI; CLEMENTIAQUE UTOR

[f] Exod. xx. 4. Lev. xxvi. 1. Deut. iv. 15. et v. 8, 9, 10. et xxvii. 15. Psal. xcvii. 7. Esai. xlii. 8.

[g] Exod. xxxiv. 7, 14. Deut. vii. 9. Id est, impatiens socii.

AD MILLESIMAM USQUE PROGENIEM, ERGA MEI AMANTES, MEAQUE PRÆCEPTA CONSERVANTES.

M. Horum verborum quis est sensus?

A. Sicuti primo præcepto solum se coli adorarique jubet, ita isto ab omni superstitione vitiosisque et corporeis figmentis avocat, quandoquidem ipsius cultus [h]spiritualis purusque esse debet; maxime vero ab externa [i]idololatria crassissimo vitio nos deterret.

[h] Esai. ii. 18. Joan. iv. 23, 24.
[i] Psal. lxxviii. 64. Esai. xlii. 8, 17. et xliv. 9. Jer. x. 14.

M. Pingendi itaque fingendique artes in totum damnat hæc lex, ut videtur, ita ut nullas omnino imagines fieri liceat.

A. Minime; verum primo ne vel Dei [k]exprimendi, vel adorandi causa, imagines ullas formemus, vetat: Deinde ne imagines [l]ipsas adoremus edicit.

[k] Lev. xxvi. 1. Deut. iv. 15. Esai. xl. 18. 12; et xlvi. 5, 6. Psal. lxxviii. 64. Act. xvii. 29.
[l] Deut. v. 8, 9. Psal. xcvii. 7. et cvi. 34. Esai. xliv. 17, 19.

M. Cur Deum non licet corporea et aspectabili figura exprimere?

A. Quia inter Deum, qui [m]spiritus est, æternus, immensus, infinitus, incomprehensibilis, et ab omni concretione mortali segregatus, et inter caducam et corpoream, exilem et inanimem, inanemque [n]figuram, nihil potest esse simile aut commune. Itaque per summam injuriam Dei optimi maximi majestatem minuunt, quum eam in hunc modum repræsentare conantur.

[m] Psal. cxv. 3, 4. Esai. xl. 10, &c. Joan. iv. 24. Rom. i. 20. 23.
[n] Esai. ii. 18, 19. xl. 18, 19. et xlvi. 5, 6. Jer. x. 14. Act. xvii. 29.

M. Non ergo recte dixerunt hi, qui imagines esse idiotarum libros contendunt?

A. Quales libri sint nescio; de Deo certe nihil nisi errores docere possunt.

M. Quænam est illa adorationis forma, quæ hic damnatur?

A. Quum precaturi, [o]ad statuas aut imagines convertimur, coram illis prosternimur, genibus inflexis, aperto capite, aut aliis signis honorem illis exhibentes, ac si Deus nobis illis repræsentaretur. In summa, in imaginibus, ne vel Deum quæramus vel colamus; vel quod idem est, ne imagines ipsas in Dei honorem veneremur, aut illis quoquo modo, ad majestatis suæ injuriam, per idololatriam, aut superstitionem abutamur, hac Lege prohibemur. Alioqui vero [p]statuariæ picturæque usus legitimus minime interdicitur.

[o] Psal. xcvii. 7. et cvi. 34. Esai. xliv. 17, 19. Dan. iii. 5, 7. Osee xi. 2. Mich. v. 12. Act. vii. 41.
[p] 3 Reg. vii. 24, 25. Ezech. xli. 19. Matt. xxii. 20.

M. Ex his quæ mihi commemoras, colligi facile potest, in templis, [q]quæ Dei cultui proprie dicantur, statuas aut imagines ullas collocare, valde periculosum esse.

[q] Deut. vii. 5. et xxvii. 15. 2 Par. xxxi. 1. Esai. x. 10, 11. et xxx. 22 Ezech. vi. 4. Matt. xxi. 13.

A. Id verum esse, totius pene Religionis interitu, jam nimium profecto experti sumus.

M. At adhuc superest hujus Legis quasi appendix quædam.

A. Nam ego, inquit, sum Dominus Deus tuus, [r]socii impatiens, qui vindico iniquitatem parentum in Filiis, usque in tertiam, et quartam progeniem eorum qui me oderint.

[r] Exod. xx. 5. Deut. v 9. et vi.15. Psal. lxxviii. 58. Nah. i. 2.

M. Quorsum tandem, aut cur ista dicuntur?

A. Hæc eo pertinent, ut Legem hanc, adhibita veluti sanctione, statuat et confirmet. Nam Dominum se, ac Deum nostrum nominans duplici ratione, [s]authoritatis videlicet, et beneficentiæ, nos ad sibi per omnia parendum urget; [t]zelotypiæ vocabulo indicat, se socium aut æqualem ferre non posse.

[s] Deut. x.12. 3 Reg. xviii. 39. 1 Tim. vi. 15.
[t] Exod. xxxiv. 14. Jos. xxiv. 19. Esai. xlii. 8.

M. Quæ subest hujus quam dicis, zelotypiæ ratio?

A. Æquissima profecto. Postquam enim nobis nihil [u]promeritis, tantum pro infinita sua bonitate se donavit, optimo jure nos [x]totos omnino, atque in solidum vult esse suos. Hoc enim est illud veluti sancti conjugii [y]vinculum, quo fideli illi marito Deo, animæ nostræ, tanquam castæ sponsæ, copulantur. Quarum castitas est, Deo soli dicatas esse, et illi penitus adhærere; sicuti rursum, [z]adulterio pollui dicuntur animæ nostræ, cum a Deo, ad idololatriam aut superstitionem deflectunt. Quo vero sponsæ amantior est maritus, quoque castior ipse, eo est sponsæ fidem violanti infensior.

[u] Psal. xliv. 4, 5. Esai. xlviii. 9. Rom. v. 8. et xi. 35. 2 Tim. i. 9.
[x] Matt. iv.10. et xxii. 37.
[y] Jer. ii. 2. 2 Cor. xi. 2. Eph. v. 24.
[z] Jer. ii. 20. et iii. 1, &c. Ezech. vi. 9. et xvi. 15.

M. Prosequere.

A. Jam quo impendio magis odisse se idololatriam ostendat, et graviore nos formidine a peccando coerceat, non de iis modo qui ipsi offenderint, sed et de eorum [a]quoque liberis ac posteris pœnas se sumturum minatur.

[a] Exod. xxxiv. 7. Deut. v. 9, 10. et vii. 9, 10. Esai. xiv. 20, 21.

M. Verum quo tandem modo istuc Dei justitiæ est consentaneum, quenquam propter alterius admissum pœnas dare?

A. Ipsa humani generis conditio hanc questionem satis explicat. [b]Natura enim exitio obnoxii sumus omnes; in qua nos conditione si Deus relinquat, nihil est quod de eo conqueramur. Et sicut suam erga pios dilectionem et misericordiam, eorum posteritatem [c]tuendo, fovendoque, et illis salutem quam non debuit impertiendo, demonstrat; ita suam in impios vindictam, ipsorum [d]filios hac beneficentia privando, exequitur; neque tamen injuria interim ulla eos afficit, quod

[b] Esai. i. 4, &c. Rom. iii. 9, 10. Eph. ii. 3.
[c] Deut. iv. 37. Psal. xxxvii. 25. et lxix. 36. et cxii. 2.
[d] Esai. xiv. 20. et xlviii. 19.

gratiam quam illis [e]non debuit, non sit impertitus, sed quales invenit, tales ingenio naturæque suæ relinquit.

M. Perge ad cætera.

A. Ne solis nos minis urgere videatur, jam sequitur altera pars, qua Deus benigne et liberaliter pollicendo, nos ad obsequium invitat atque allectat. [f]Clementia enim se summa usurum promittit, tum erga omnes qui se diligunt, suisque mandatis obtemperant, tum erga ipsorum etiam posteros.

M. Qua ratione istuc æquum esse tibi videtur?

A. Ratio quidem aliqua est propter piam educationem, [g]in qua suos liberos pii parentes sic instituunt, ut illis in vero Domini timore et dilectione quasi hæredes succedere soleant. Sed et [h]natura ipsa nos ad benevolentiam erga amicorum liberos invitat; certissima tamen ratio est, quod Deus ita promittit, [i]qui neque a justitia aberrare, neque fidem fallere potest unquam.

M. Atqui istud constans et perpetuum esse non apparet; quia pii aliquando parentes [k]liberos progignunt impios, et a parentum virtute degeneres, in quos Deus non obstante hac promissione, graviter animadvertit.

A. Hoc quidem negari non potest. Nam Deus ut propitium se (cum visum fuerit) [l]impiorum liberis exhibet; ita nulla hujusmodi necessitate piorum liberis devinctus tenetur, [m]quin ipsi liberum sit, ex illis quos velit, repudiare. Verum in eo hujusmodi moderationem adhibet, ut certa promissioni suæ fides semper constet.

M. Quum ante in vindicta tres, aut quatuor ad summum progenies nominet, cur hic in misericordia mille complectitur?

A. Ut ostendat ad mansuetudinem [n]et beneficentiam, quam ad severitatem, se multo esse procliviorem; sicut et ipse alibi profitetur, se ad iram tardum esse, ad ignoscendum vero propensissimum.

M. Ex his quæ commemorasti omnibus, videris mihi intelligere, Deum, ne ipsius cultus, qui spiritualis et purissimus esse debeat, crassa ulla idololatria aut superstitione polleretur, magnam adhibuisse cautionem?

A. Maximam profecto. Nam non aperte [o]solum et prolixe enumeratis omnibus simulachrorum formis, in prima fere legis suæ parte, ut rem ad suam majestatem maxime spectantem edixit; sed et horrendis [p]minis violatori, maximis rursum observatori propositis præmiis hanc legem sancivit.

[e] Exod. xxxiii. 19. Rom. ix. 14. et xi. 35.

[f] Gen. xxii. 17. et xxvi. 4. Deut. v. 10. et vii. 9.

[g] Gen. xviii. 19. Deut. iv. 9, 10. et xxxii. 46. Psal. cxxxii. 11.

[h] 3 Reg. xi. 12. et xv. 4. 4 Reg. viii. 19.

[i] Deut xxxii. 4. 2 Par. xix. 7. Jer. ii. 5. Rom. ix. 14. et iv. 20. 1 Cor. i. 9. 2 Cor. i. 18.

[k] 2 Reg. iii. 2. 4 Reg. xxiii. 30, 32. Ezech. xviii. 2, 9, 16.

[l] 3 Reg xi. 12, 13. et xv. 4. 4 Reg. viii. 19. et xxi. 22, 24.

[m] Exod. xxxiii. 19. Jos. xxiii. 14. Rom. iii. 3. et ix. 14. 2 Pet. iii. 9.

[n] Exod. xxxiv. 6. Psal. xxx. 5. et ciii. 8. et cxlv. 8. Esai. liv. 7, 8, 10.

[o] Exod. xx. 4. Deut. iv. 16. et v. 8.

[p] Exod. xx. 5, 6. Lev. xxvi. 30. Deut. iv. 26. v. 9, 10. et xxvii. 15. Psal. xcvii. 7. Ezech. vi. 4.

Ita ut, aut non intellectum fuisse hoc mandatum, ut obscurum, aut non animadversum, ut in turba delitescens, aut non curatum, ut leve et minimum; sed ut nullum potius mandatum, nullis minis, nullis promissionibus adjunctis, neglectum prorsus ab omnibus jacuisse, plusquam stupendum videri possit.

M. Sic est profecto ut dicis; verum recita mihi jam preceptum tertium.

A. [q]NOMEN DOMINI DEI TUI INANITER NON USURPABIS; NEQUE ENIM SINET IMPUNITUM JEHOVA, QUI EJUS NOMEN INANITER ADHIBUERIT.

[q] Exod. xx. 7. Lev. xix. 12. Deut. v. 11.

M. Quid est inaniter usurpare nomen Dei?

A. Eo vel [r]pejerando, vel temere, et incogitanter, ac præter [s]necessitatem jurando, aut vel semel præter gravem causam nominando, abuti. Quum enim sit Divini [t]nominis majestas sacrosancta, omnibus modis cavere debemus, ne aut ipsi contemsisse, aut aliis contemnendi ejus occasionem præbuisse videamur; adeoque nomen Dei, nisi cum summa ejus [u]reverentia, nunquam proferamus, ut venerandum et gloriosum cum nobis ipsis, tum aliis omnibus appareat. De [x]Deo enim ejusque operibus, ne cogitare quidem, nedum loqui aliter quam in ejus honorem fas est. In summa, qui Dei nomine, nisi gravissimis de causis, et sanctissimis negotiis utitur, eo abutitur.

[r] Lev. xix. 12. Psal. xv. 4. 1 Tim. i. 10.
[s] Eccles. xxiii. 9. Matt. v. 33.
[t] Deut. xxviii. 58. Psal. viii. 1. Jer. x. 6.
[u] 1 Par. xxix. 13. Psal. xlviii. 9, et cxi. 1, &c.
[x] Sap. i. 1. et xiv. 30. Eccles. xxiii. 9. et xxxix. 33.

M. Quid ergo de iis qui Deo convitium faciunt, de Magis item, atque aliis ejus generis hominibus impiis, censes?

A. Si qui tantum ex consuetudine [y]prava, et importuna solum quadam facilitate Dei nomine utuntur, summa eum injuria afficiunt; multo magis illi, qui in diris [z]execrationibus, incantationibus, imprecationibus, aut ulla superstitione alia, Dei nomine abutuntur, atroci atque nefario scelere sese astringunt.

[y] Eccles. xxiii. 9. Matt. v. 34.
[z] Deut. xviii. 11. Esai. viii. 19. et xlvii. 9. et lii. 5. Mal. iii. 5. Act. xix. 13. Gal. v. 20.

M. Ecquis ergo est divini nominis usus in jurejurando legitimus?

A. Sane; cum justa [a]de causa datur jusjurandum, vel ad asserendam veritatem, maxime si id requirat jubeatve magistratus; vel ob aliud magni momenti negotium, quo videlicet suum Deo honorem integrum servemus, aut mutuam inter homines concordiam charitatemque tueamur.

[a] Exod. xxii. 11. Jos. ii. 12; ix. 15. Psal. xv. 4, et lxiii. 12. 2 Cor. xi. 31. Gal. i. 20.

M. An ergo quoties vera loquimur, adhibere juramentum licebit?

A. Hoc minime licere jam ante dictum est; sic enim

existimatio atque authoritas nominis Divini imminueretur, vileque illud et vulgare redderetur. Sed cum in [b]gravi negotio veritati fides alioqui non haberetur, eam sacramento confirmare licebit.

[b] Exod. xxii. 11. Jos. ii. 12. 1 Reg. xxiv. 21. et xxx. 15. Gal. i. 20.

M. Quid deinde sequitur?

A. Neque enim impunitum, inquit, sinet Jehova, qui nomen ejus inaniter adhibuerit.

M. Quum in universum se in Legis suæ violatores animadversurum, [c]alibi Deus denuntiet, quid est quod hic nomine suo abutentibus peculiariter minatur?

[c] Lev. xxvi. 14. Deut. xxviii. 15,&c. et infinitis locis.

A. Indicare voluit, quanti nominis [d]sui gloriam faciat, ut paratam ultionem videntes, majori studio ab eo profanando caveremus.

[d] Lev. xix. 12. Deut. v. 11. Jer. li. 56. Ezech. xx. 8, 9, 14.

M. An divorum, aut aliorum hominum, rerumve nomine in jurejurando adhibere fas esse putas?

A. Nequaquam. Cum enim legitimum jusjurandum nihil sit aliud, quam religiosa affirmatio, se Deum omnium conscium cognitoremque, [e]testem citare, atque adhibere, jusjurandum se verum jurare, eundemque si falsum juravit, mendacii scelerisque sui vindicem atque ultorem invocare atque imprecari; hunc divinæ sapientiæ atque majestatis honorem, qui suus est proprius [f]atque peculiaris, partiri, et cum aliis vel personis vel rebus communicare, summum esset nefas.

[e] Exod. xxii. 1. Heb. vi. 16.

[f] Deut. vi. 13; x. 20. Jos. xxiii. 7. Esai. lxv. 16.

M. Superest quartum præceptum, primæ tabulæ ultimum?

A. DIEM SABBATI [g]SANCTE AGERE MEMENTO. SEX DIEBUS OPERABERIS, ET FACIES OMNIA OPERA TUA; SEPTIMO VERO DIE, QUOD EST DOMINI DEI TUI SABBATUM, NULLUM OPUS FACIES; NEC TU, NEC FILIUS TUUS, NEC FILIA TUA, NEC SERVUS TUUS, NEC ANCILLA TUA, NEQUE JUMENTUM TUUM, NEQUE APUD TE DEGENS PEREGRINUS. NAM SEX DIEBUS [h]PERFECIT DEUS CŒLUM ET TERRAM, ET MARE, ET QUICQUID IN ILLIS CONTINETUR. SEPTIMO QUIEVIT. ITAQUE DIEM SABBATI SACRUM, SIBIQUE DICATUM ESSE VOLUIT.

[g] Exod. xvi. 23. et xx. 8. et xxxi. 13. Lev. xxiii. 3. Deut. v. 12. Ezech. xx. 12.

[h] Gen. ii. 1, 2, 3. Heb. iv. 3, 10.

M. Sabbati nomen quid significat?

A. Sabbatum si interpreteris, [i]requiem significat. Eo die, ut qui ad cultum [k]Dei solummodo sit institutus, profana negotia omnia a piis longe semovenda sunt, quo religioni, et pietati sedulo vacare queant.

[i] Exod. xvi. 23 Lev. xvi. 31.
[k] Jer. xvii. 21, 24, 27. Ezech. xlvi. 3. Marc. vi. 2. Luc. xxiii. 56.

M. Cur suum nobis exemplum ad imitandum proposuit Dominus?

A. Quod clara, atque illustria [l]exempla animos hominum acrius excitent atque acuant. Nam et dominum servi, et filii parentem libenter imitantur; et nihil magis est expetendum, quam ut homines ad Dei [m]exemplar et imitationem se forment.

M. Septimo ergo quoque die ab omni nobis labore abstinendum prorsus esse dicis?

A. Duplex est hujus præcepti ratio; quatenus enim cæremoniam complectitur, externam tantum quietem exigens, ad Judæos [n]proprie spectabat, nec perpetuæ æternæque legis vim habet: sed Christi jam [o]adventu, ut cæteræ Judaicarum cæremoniarum umbræ abrogatæ sunt, ita et de ista lege ex hac parte est derogatum.

M. Quid ergo præter cæremoniam subesse putas, quo perpetuo astringamur?

A. Tres ob causas hæc lex est instituta; ut disciplina [p]Ecclesiastica, et Reipub. Christianæ status aliquis constituatur, atque retineatur; ut servorum [q]conditioni, quo tolerabilis ea fiat, provideatur; et ut spiritualis illius quietis forma [r]atque figura quædam exprimatur.

M. Quæ est illa quam dicis Ecclesiastica disciplina?

A. Ut populus Christianus ad Christi [s]doctrinam audiendam, ad conficiendam fidei [t]suæ professionem, ad preces [u]Deo publice adhibendas, ad divinorum [x]operum, atque beneficiorum memoriam celebrandam atque retinendam, traditaque ab eo mysteria [y]peragenda, in unum conveniat.

M. An ista septimo quoque die præstitisse satis erit?

A. Sunt hæc quidem privatim [z]cuique assidue recordanda, et cogitanda; nostræ tamen negligentiæ atque imbecillitatis causa, status dies peculiariter huic negotio publice destinatur.

M. Jam de servis sublevandis, quare hoc mandato cautum est?

A. Æquum fuit illos, [a]qui sub aliena potestate sunt, aliquod tempus a labore intermittere; alioqui enim illorum conditio nimium dura difficilisque toleratu futura esset. Et sane par erat, servos communi nostro [b]pariter atque ipsorum Domino, adeoque patri etiam, quum eos sibi per Christum æque adoptarit, una nobiscum aliquando inservire: Sed et dominis ipsis præterea utile est, ut servi interdum [c]interquiescant, quo videlicet ad intermissum paululum laborem alacriores validioresque revertantur.

l Joan. xiii. 13, 15. 1 Cor. iv. 16. et xi. 1.
m Heb. iv. 3, 4, 10. et xii. 2. 1 Pet. ii. 21.
n 1 Cor. x. 1. Gal. iv. 2, 3, 4, 10, et 12. Col. ii. 16, 17. Heb. viii. 5. et x. 1.
o 1 Cor. iii. 14. Col. ii. 16. Heb. x. 1.
p Marc. i. 21. Act. xiii. 14. et xv. 21.
q Exod. xxi. 2. Deut. v. 14. Gal. iii. 26, 28.
r Esai. lviii. 13. Rom. xiii. 12. Heb. iv. 9, 10.
s Marc. vi. 4. Luc. iv. 16, 17.
t Psal. xcv. 2. Matt. x. 32.
u Esai. lvi. 7. Matt. xxi. 13.
x Eph. iii. 21. Heb. ii. 12.
y Psal. xxii. 23. et xxxv. 21. 1 Cor. xiv. 26.
z Psal. i. 2. et lxxxiv. 4. Luc. xviii. 1. Eph. v. 20.
a Deut. v. 14; xv. 12, 15. Jer. xxxiv. 14.
b Psal. cxxxiv. 1. Gal. iii. 26, 28. Eph. vi 9. Col. iii. 11.
c Deut. v. 14. Esai. xxviii. 12.

M. Superest jam ut de spirituali quiete dicas.

[d] Esai. i. 14. 16. et lviii. 13. Heb. iv. 9.

A. Ea est, dum a mundanis negotiis, [d]propriisque operibus atque studiis feriati, et quasi sanctum quoddam otium agentes, nos totos in Dei potestatem permittimus, quo ille sua in nobis opera peragat; et dum carnem nostram, [e]ut Scriptura loquitur, crucifigimus, hoc est, appetitus et motus animi pravos frænamus, ingenio nostro temperantes, ut Dei spiritui obtemperemus; ita enim externæ quietis figuram atque imaginem, ad rem veritatemque optime revocabimus atque traducemus.

[e] Gal. v. 24. Col. iii. 5.

M. An ergo reliquis diebus hanc curam abjicere licebit?

A. Nequaquam: Postquam enim semel cœperimus, pergendum [f]est per totum vitæ curriculum; et numerus [g]septenarius, quum perfectionem in Scripturis designet, omni ope atque opera assidue eniti, atque ad eam [h]contendere oportere nos admonet. Una tamen ostenditur, nos quoad in hoc mundo vivimus, a spiritualis hujus quietis perfectione atque absolutione [i]longe abesse, gustumque tantum quendam hic nobis præberi quietis illius, quam in regno Dei sumus perfecte [k]absolutam fœlicissimamque habituri.

[f] Matt. xxiv. 13. Jac. i. 24, 25.
[g] Gen. ii. 2, 3. 4 Reg. v. 10. Psal. xii. 6.
[h] Gen. xvii. 1. Matt. v. 48.
[i] 1 Cor. ii. 9. Apoc. vii. 15, 16, 17. et xiv. 13. et xxi. 4.
[k] Esai. xxv. 8. 1 Cor. ii. 9. 2 Thess. i. 7. Apoc. vii. 16. et xiv. 13. et xxi. 4.

M. Recte recitatæ jam mihi a te sunt Leges primæ tabulæ, qua verus Dei cultus, qui est bonorum omnium fons, summatim comprehenditur. Jam vero quæ sint amoris charitatisque nostræ erga homines officia, quæ ex isto fonte scaturiunt et derivantur, quæque secunda tabula continentur, mihi dicas velim.

A. Secundæ tabulæ initium est, [l]HONORA PATREM ET MATREM; UT SIS LONGÆVUS SUPER TERRAM, QUAM DATURUS EST TIBI DOMINUS DEUS TUUS.

[l] Exod. xx. 12. Deut. v. 16. Matt. xv. 4. Eph. vi. 2, 3.

M. Honoris nomine hoc loco quid significatur?

A. Honor parentum, amorem, [m]timorem, et reverentiam complectitur; et in obediendo illis, in salute atque auxilio ferendo, eos defendendo, atque etiam, si quando rerum inopia laborent, fovendo, ut in proprio suo munere atque officio versatur.

[m] Prov. i. 8. Marc. vii. 10, 12. Col. iii. 20. 1 Tim. v. 4. Heb. xii. 9.

M. An de iis tantum qui natura parentes sunt, Lex præcipit?

A. Tametsi ipsa verba aliud sonare non videntur, intelligendi tamen sunt omnes, quibus aliqua attributa est authoritas; ut [n]Magistratus, Ecclesiæ [o]Ministri, [p]Præceptores; denique ornamento aliquo vel honoratæ [q]ætatis, vel ingenii

[n] Deut. xvii. 10. Rom. xiii. 1.
[o] Luc. x. 16. 1 Tim. v. 1.
[p] Prov. v. 13. Joan. viii. 31.
[q] Lev. xix. 32. Prov. xix. 10.

sapientiæque, vel doctrinæ, vel gloriæ, vel fortunæ prædíti, vel cæteris rebus superiores, parentum nomine continentur; quando ex eodem fonte ipsorum pariter atque parentum authoritas derivatur.

M. Quonam?

A. Ex sacrosancta Legum [r]divinarum sanctione, qua illi æque ac parentes dignitate atque honore afficiuntur, et decorantur. Inde enim omnes vel Parentes, vel Principes, vel Magistratus, vel alii superiores, quicunque tandem sint, vim suam atque authoritatem omnem habent, atque obtinent; quod per hos Deo mundum hunc regere atque administrare visum fuerit.

[r] Deut. xvii. 10. Tit. iii. 1. 1 Pet. ii. 18.

M. Hoc quale tandem est, quod Parentum nomine Magistratus, cæterosque superiores appellat?

A. Ut intelligamus eos a Deo nobis nostro [s]publicoque bono datos esse; simulque ingenium [t]humanum superbia elatum, et celsitudinis appetens, atque ab alterius imperio perferendo refugiens, authoritatis illius, [u]quæ minime omnium est invidiosa, exemplo, ad officium obsequiumque in Magistratum perduceret, atque assuefaceret. Parentum enim nomine, non solum ut obtemperemus obediamusque magistratibus, sed etiam ut eos colamus et diligamus; vicissimque ut superiores imperent inferioribus, ut justus parens probis filiis solet, præscribitur.

[s] Rom. xiii. 4. Heb. xiii. 17.
[t] Exod. xxxii. 9. Luc. xix. 14.
[u] Prov. iii. 12. Matt. vii. 9. Luc. xi. 11. 1 Thess. ii. 11.

M. Promissio illa mandato addita quid sibi vult?

A. Longa [x]fruituros vita, et in certa ac stabili bonorum possessione diu permansuros esse, qui meritos debitosque Parentibus, et Magistratibus honores habuerint.

[x] Exod. xx. 12. Deut. v. 16. Eph. vi. 2, 3.

M. At hæc promissio peculiariter ad Judæos, qui pii in Parentes fuerint, spectare videtur.

A. Non est dubium, quin quod de terra [y]Chanaan nominatim dictum sit, ad Judæos proprie pertineat; verum cum Deus totius orbis sit [z]Dominus, quascunque nobis sedes incolendas dederit, eas in possessione nos nostra esse retenturos, hac Lege promittit et confirmat.

[y] Gen. xii. 7. et xiii. 15. et xxvi. 3. Deut. xxiv. 4.
[z] Gen. i. 1. Psal. xxiv. 1. et cxv. 16. Dan. iv. 22.

M. Verum in tam ærumnosa pariter ac flagitiosa vita, provectam ætatem cur Deus in beneficii loco ponit?

A. Quia dum suorum miseriis [a]et calamitatibus opem fert, vel eos in tot circumstantibus periculis tuetur, et a vitiis atque peccatis avocat; paternum in eos ut liberos suos animum, benevolentiamque declarat.

[a] 2 Reg. xxii. 1. Psal. xviii. 1, 2, 3. Jer. xiv. 8. Heb. ii. 15.

M. Quid, an ex contrario sequitur, eos quibus cito aut

ante decursam ætatem vita adimitur, aut quos vitæ hujus miseriæ atque ærumnæ premunt, in odio apud Deum esse?

[b] Job. i. 12. et v. 17. Prov. iii. 12. Matt. v. 10, 11.

A. Nihil minus; imo quo quisque [b]fere Deo est charior, eo vel gravius malis oneratur, vel citius ex hac vita, quasi e carcere, a Deo evocatus atque emissus, migrare solet.

M. An non ista interim veritatem fidemque promissionis Divinæ infirmare videntur?

A. Minime. Quum enim terrena nobis bona Deus pollicetur, hac vel aperta [c]vel tacita exceptione semper utitur, modo ne ea animis interim nostris minus salutaria sint, aut perniciosa. Esset enim valde præposterum, atque perversum, nisi animæ semper [d]præcipua ratio haberetur, atque ita mundana commoda vel consequamur, [e]vel illis careamus, ut ævo sempiterno beati perpetuo fruamur.

[c] Deut. xxviii. 1, 2. Esai. i. 19, 20. Jer. xxii. 4, 5.

[d] Matt. v. 29; xviii. 8.

[e] 2 Reg. vii. 14, 15. 2 Cor. vi. 8.

M. Jam quid de illis, qui Parentibus Magistratibusve minus obsequentes fuerint, aut illos violarint, aut occiderint etiam, dicemus?

A. Hujusmodi fere omnes vel [f]fœdissimam miserrimamque vitam producunt, vel eam immaturo acerboque interitu, et infami morte de medio sublati, per summum dedecus amittunt: Neque in hac modo vita, sed et in futuro [g]sæculo æternas impietatis suæ pœnas perpetuo luent. Nam si homines a nobis alienissimos, vel inimicos [h]etiam adversariosque capitales lædere, nedum occidere, Dei mandato, quod proxime sequitur, prohibemur; quam sit nobis ab omni in parentes injuria, a quibus vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est, abstinendum atque cavendum, facile profecto intelligimus. Et si præclare a sapientibus priscis dictum est, vultu lædi pietatem, parentesque verbo voceve violare, summum esse nefas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, jura Divina atque humana cogebant?

[f] Exod. xxi. 17. Lev. xx. 9. Deut. xii. 18, &c. Prov. xxx. 17.

[g] Matt. xv. 4. Rom. i. 30, 32. et xiii. 2, 5.

[h] Lev. xix. 17. Matt. v. 21, &c. Luc. iii. 14.

M. At multo est adhuc atrocius patriæ parentem, quam suum violare, aut occidere.

A. Profecto: Nam si singulos homines parentes suos privatim violare, flagitium; necare, parricidium sit; quid dicemus de illis, qui contra rempub. contra patriam antiquissimam sanctissimamque, et communem omnium parentem, quam nobis chariorem esse quam nosmetipsos decet, et pro qua nemo bonus dubitat mori, si ei sit profuturus; qui contra Principem, patrem patriæ ipsius, et reipub. parentem conjurarunt, atque impia

arma tulerunt; et quos deserere vel destituere proditio sit, de illorum pernicie, exitio, interitu cogitare? Verbo satis digno tam nefaria appellari nullo modo potest.

M. Recita jam sextum mandatum.

A. [i]NON OCCIDES.

[i] Exod. xx. 13. Matt. v. 21. Jac. ii. 11.

M. Satisne huic Legi obtemperabimus, si manus a cæde et sanguine puras habuerimus?

A. Deus non externis tantum operibus, sed animi etiam [k]affectibus, adeoque his potissimum legem tulit; [l]ira enim et odium, et quævis nocendi cupiditas, cædes coram Deo censetur. Ab his ergo nos etiam Deus hac Lege prohibet.

[k] Deut. xxx. 6. Psal. xxiv. 4. Matt. ix. 4. Heb. iii. 12.
[l] Matt. v. 21, 22, 23. Gal. v. 20. 1 Joan. ii. 11.

M. Plene ergo Legi satisfaciemus, si odium in neminem concipiamus?

A. Imo odium damnando, Dominus amorem erga [m]omnes homines, etiam inimicos exigit; adeoque ut illis qui nobis male precantur, et hostili in nos sunt odio atque crudelitate, non modo salutem et incolumitatem, omniaque bona precemur, sed de illis, quantum in nobis erit, bene etiam mereamur.

[m] Matt. v. 23, 24, 25. Luc. vi. 27. Rom. xii. 18.

M. Jam præceptum septimum quodnam est?

A. [n]NON ADULTERABERIS.

[n] Exod. xx. 14. Deut. v. 18. Matt. xix. 18.

M. Quid eo tibi contineri videtur?

A. Hoc præcepto omne fœdæ vagæque libidinis genus, omnisque quæ a libidine nascitur turpitudo, ut contrectandi petulantia, orationis [o]obscœnitas, vultus gestusve lascivia omnis, atque impudicitiæ significatio quævis prohibetur. Nec verborum modo turpitudo, obscœnitasque rerum vetatur, sed, quoniam tum corpora, tum animæ nostræ [p]templa sunt Spiritus sancti, quo pura sit in utrisque castitas, pudor pariter, et pudicitia a Deo exiguntur; ne vel corpora ullis libidinis sordibus, vel animi obscœnis cogitationibus, [q]aut cupiditatibus ullo modo polluantur; sed casti purique perpetuo serventur.

[o] Rom. xiii. 13. Eph. v 3, 4. Jac. ii. 11.
[p] 1 Cor. iii. 16, 17. et vi. 15, 19. 2 Cor. vi. 16.
[q] Job. xxxi. 9. Prov. vi. 25. Matt. v. 27, 28.

M. Perge ad cætera.

A. Octavum præceptum est, [r]NON FURABERIS. Quo præcepto non tantum furta illa quæ humanis legibus puniuntur, verum etiam omnes fraudes, [s]atque fallaciæ damnantur; nulli vero contra hanc legem flagitiosius committunt, quam qui per rationem fiduciæ, eos erga quos amicitiam simulant, maxime fraudare solent. Qui enim fidem lædunt, oppugnant omnium commune præsidium. Ne ergo cuipiam imponamus, ne circumveniamus quenquam, ne emendi aut vendendi quæstu et lucro duci nos ad injuriam sinamus, neque mercaturis faciendis injuste

[r] Exod. xx. 15. Matt. xix. 18. 1 Cor. vi. 8, 9, 10.
[s] 1 Thess. iv. 6. Tit. ii. 10.

rem quæramus, aut [t]mensuris vel ponderibus imparibus atque iniquis utentes, quæstum faciamus, aut fallaces, et fucosas merces vendentes, opes augeamus, prohibemur.

[t] Prov. xi. 1. et xx. 10, 11.

M. Quicquam amplius de hoc præcepto dicendum existimas?

A. Maxime: Nam non externa solum furta fraudesque prohibentur; nec ut mercatum tantum sine furto atque fallaciis instituamus, cæteraque omnia sine insidiis agamus, hac lege jubemur; verum etiam ut animo ita affecti simus, ut impunitate et ignoratione omnium proposita, ab injuria abstineamus tamen. Nam quod agere coram hominibus iniquum, id etiam velle coram Deo malum est. Omnia ergo consilia et studia, ipsaque in [u]primis cupiditas ex alienis incommodis nostra quærendi commoda, hac lege vetantur. Denique ut ad suum quisque quam primum perveniat, et quod quisque habeat sui ut cuique salvum maneat, omnibus modis operam dare, hac lege admonemur.

[u] Psal. lxii. 10. Zach. viii 17. Mich. ii. 2. Act. xx. 33.

M. Nonum præceptum quod est?

A. Non eris [x]adversus proximum tuum testis mendax.

[x] Exod. xx. 16. Deut. v. 20. Matt. xix. 18.

M. Quis est hujus præcepti sensus?

A. Ne jusjurandum aut fidem [y]violemus; nec publica tantum manifestaque perjuria, sed et omnia in universum mendacia, calumniæ, [z]obtrectationes, maledicta, quibus damnum vel detrimentum proximus faciat, vel famam et existimationem amittat, hac lege prohibentur; una enim forma generalem doctrinam continet. Adeoque falsa aut vana, nec ipsi unquam loqui, nec in aliis, vel verbis, vel scripto, vel silentio, vel præsentia adeo nostra, tacitoque assensu approbare debemus; sed simplicis veritatis [a]amicos perpetuos et cultores esse, in veritatis lucem, prout locus, tempus, aut necessitas postulabit, omnia studiose proferre, veritatis denique patrocinium ubique arripere, illamque modis omnibus tueri et defendere oportet.

[y] Exod. xxiii. 1. Lev. xix. 11, 12. Deut. xix. 18, 19. Matt. xix. 18.
[z] Psal. xv. 3. Soph. iii. 13. Luc. iii. 14.
[a] Prov. xii. 17, 19. 2 Cor. xiii. 8. Eph. iv. 25.

M. Huic ergo legi ut satisfiat, linguæ et calamo temperare non est satis?

A. Secundum rationem ante adductam quum maledicentiam vetat, sinistras [b]etiam suspiciones et judicia iniqua vetat. Nam hic legislator animi affectiones semper maxime respicit. Hæc ergo lex vel ad male de proximis sentiendum, nedum ad eos [c]infamandos propensos nos esse prohibet: imo hoc nos esse candore atque æquitate jubet, ut et de illis, quantum veritas patitur, bene sentiamus, et suam ipsis existimationem, quantum in nobis erit, integram tueri studeamus.

[b] Matt. vii. 1, 2. Rom. xiv. 3, 4. 1 Cor. xiii. 5, 7.
[c] Prov xxv. 18. 1 Pet. ii. 1, 2.

M. Quæ subest ratio, quod Dominus in Lege sua animi vitiosos affectus gravissimorum scelerum nominibus appellat? Odium enim et iram, cædis appellatione; lasciviam omnem cogitationemque fœdam, adulterii; cupiditatem injustam, furti nomine complectitur.

A. Ne, ut est hominum ingenium, ad impios [d]animi affectus, ut ad levia quædam, conniveremus, eos Dominus justitiæ suæ regula metiens, veris nominibus designat. Ita enim Servator noster paternæ mentis interpres optimus, ita Divinus ille Spiritus recte intelligendi Magister summus, ista explicat: [e]Qui irascitur, inquit, fratri suo, homicida est; qui concupiscit mulierem, adulterium perpetravit.

[d] Rom. vii. 7. 1 Cor. x. 6. Jac. iv. 1.

[e] Matt. v. 22, 28. et xv. 19. 1 Joan. iii. 15.

M. Verum cum vitia tantum et peccata his præceptis prohibeantur, cur tu interpretando virtutes etiam contrarias præcipi dicis? Nam prohibito adulterio, castitatem; cæde et furto vetitis, summam benevolentiam beneficentiamque præcipi dicis; atque ita in cæteris.

A. Quia idem Servator noster sic interpretatur, summam legis non in abstinentia tantum ab injuria maleficioque, sed in [f]dilectione atque charitate constituens. Sicut et Regius Propheta [g]antea monuerat: Declina (inquiens) a malo, et fac bonum.

[f] Matt. xxii. 39. Rom. xiii. 8, 9. Gal. v. 14.

[g] Psal. xxxvii. 27.

M. Superest jam ultimum præceptum.

A. NON CONCUPISCES [h]CUJUSQUAM DOMUM, NON UXOREM, NON SERVUM, NON ANCILLAM, NON BOVEM, NON ASINUM, NEC QUICQUAM OMNINO ALIUD, QUOD ALTERIUS SIT.

[h] Exod. xx. 17. Mich. ii. 2. Rom. vii. 7. 1 Cor. x. 6.

M. Cum totam legem spiritualem esse, nec ad coercendum tantum externa maleficia, sed ad internos animi affectus frænandos institutam esse jam aliquoties commemoraris, quid hic amplies præcipitur, quod antea fuit omissum?

A. Actiones pravas, affectusque animi vitiosos Deus supra prohibuit; nunc vero [i]exactissimam a nobis integritatem requirit, ut ne cupiditatem quidem ullam vel levissimam, aut cogitationem minimam a recto quoquo modo declinantem, in animum obrepere sinamus.

[i] Esai. i. 16. Rom. xiii. 14. Gal. v. 14.

M. Quid ergo, improvisas et repentinas etiam cupiditates, momentaneasque cogitationes, quæ piis etiam sese ingerunt, peccata esse dicis, etiamsi illis obnitantur potius quam obtemperent?

A. Omnes certe pravas [k]cogitationes, etiamsi non accedat consensus, ex natura nostra depravata prodire constat. Cupi-

[k] Gen. vi. 5. et viii. 21. Psal. xciv. 11. Prov. xx. 9. Matt. xv. 18, 19.

ditates vero repentinas, quæ corda humana sollicitant, nec tamen firmam animi assensionem approbationemque eliciunt, non est dubium quin Deus hoc præcepto, ut peccata damnet. Par enim est, ut coram [l]Deo in cordibus etiam nostris, atque animis, sua atque ea summa integritas et mundities reluceat. Non enim illi potest innocentia justitiaque [m]nisi summa placere; cujus et hanc suam Legem, perfectam nobis regulam proposuit.

[l] Esai. i. 16. et xxix. 13, 15. Jer. iv. 14. Ezech. xviii. 31. Matt. v. 8.
[m] Psal. v. 4, 5. 2 Cor. vi. 14.

M. Hactenus Decalogum breviter et dilucide explicuisti; verum hæc omnia sigillatim a te per partes tractata, an non possunt paucis in unam quasi summam colligi?

A. Quid ni? cum Christus cœlestis magister universam Legis vim ac naturam summatim brevissimoque compendio sit complexus, in hunc modum dicens: [n]Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, et ex totis viribus tuis; et hoc maximum est præceptum in Lege. Secundum autem est huic simile, Diliges proximum sicut teipsum. Ad hæc enim duo mandata, universa Lex et Prophetæ referuntur.

[n] Matt. xxii. 37. Marc. xii. 30. Luc. x. 27.

M. Dei amorem qualem hic requiri intelligis?

A. Qui Deo videlicet conveniat; id est, ut simul et Dominum [o]eum potentissimum, et optimum [p]Patrem, et Servatorem clementissimum agnoscamus. Huic proinde amori, et majestatis suæ [q]reverentia, et obsequium erga [r]voluntatem ejus, et in bonitatem ejus [s]fiducia adjungenda est.

[o] Deut. x. 17. 3 Reg. xviii. 39. 1 Tim. vi. 15.
[p] Esai. lxiii. 16. Matt. vi. 8. 1 Tim. i. 1.
[q] Deut. x. 12. Psal. xcvi. 7. 1 Cor. x. 31.
[r] Deut. vi. 17. Rom. xii. 2.
[s] Psal. ii. 12. et xxv. 1. et xxxi. 1. et cxviii. 8.

M. Totum cor, anima tota, totæque vires quid significant?

A. Eum nimirum amoris ardorem, eamque sinceritatem, ut nullis omnino [t]cogitationibus, desideriis nullis, nedum studiis et actionibus, quæ Dei amori adversentur, locus sit. Chari parentes, (inquit ille,) chari liberi, propinqui, familiares, charior adhuc patria; sed omnes omnium [u]charitates pietas erga Deum summusque in eum amor non complectitur solum, verum etiam longe multumque superat; pro quo quis bonus dubitet mortem oppetere? Deum enim non tantum suis omnibus, sed et seipso etiam chariorem habet homo vere pius.

[t] Deut. xxx. 6. Jos. xxiii. 11. Matt. x. 37. Luc. xiv. 26.
[u] Joan. xiv. 15, 21, 23, 24. et xv. 10.

M. Jam de proximi amore quid dicis?

A. Amoris vincula, Christus inter Christianos suos arctissima esse voluit. Quum vero natura ad nos ipsos [x]amandos simus propensissimi, nec apertior, nec brevior, denique nec efficacior, aut æquior fraternæ charitatis regula excogitari potest, quam quæ a Domino ex ipsa natura desumpta nobis proponitur;

[x] 2 Cor. xiii. 5. Eph. v. 29. Phil. ii. 21.

ut eadem videlicet proximum benevolentia, qua seipsum, quisque prosequatur. Ex quo sequitur, ut nihil proximo [y]faciamus, nihil de illo dicamus, aut sentiamus, quod non et alios nobis facere, vel de nobis loqui, aut sentire velimus. Qua unica lege si teneremur, quæ omnium aliarum legum est quasi anima, nihil opus esset profecto tot legum cancellis, quos ad cohibendas mutuas injurias, et civilem societatem tuendam, homines quotidie excogitant; idque pene frustra, si hujus unius legis nulla sit inter mortales observatio.

[y] Matt. vii. 12. et xxii. 39. Luc. vi. 31. Rom. xiii. 9, 10.

M. Proximi nomen quam late se fundit?

A. Non cognatos modo, affines, aut amicos, qui aliqua nobiscum necessitudine sunt conjuncti; verum et eos etiam, qui nobis [z]sunt incogniti, adeoque inimicos etiam nostros complectitur proximi appellatio.

[z] Matt. v. 43. Luc. x. 33, 36. Joan. xiii. 34. 1 Thess. iv. 9.

M. At quid isti nobiscum habent communionis?

A. Eo sane vinculo, quo Deus universum genus humanum colligavit, nobis sunt conjuncti; quod inviolabile [a]ac firmum esse voluit, et nullius proinde pravitate, odio, aut malevolentia aboleri potest. Quamvis enim nos quispiam oderit, manet nihilominus ipse nobis proximus, eoque loco semper habendus est, quod ordo ille, per quem hæc hominum inter homines societas, et conjunctio est conciliata, firmus atque inviolabilis semper manere debeat. Atque ex hoc facile intelligi potest, quare Scriptura Sacra charitatem, [b]sive amorem inter primarias religionis christianæ partes esse voluerit.

[a] Matt. v. 44. Luc. vi. 27. 1 Joan. ii. 9. et iii. 10. et iv. 7.

[b] Gal. v. 6. 1 Joan. iii. 23.

M. Verum quid sibi vult quod in fine adjungitur, huc referri totam Legem et Prophetas?

A. Quod revera omnium summa illuc pertineat. Admonitiones enim, præcepta, cohortationes, promissiones, minæ, quibus passim ipsa Lex et Prophetæ, et Apostoli utuntur, ad nihil aliud quam hujus legis finem, quasi ad scopum collimant. Et ad charitatem [c]omnia in sacris literis sic referuntur, ut eo nos quasi manu ducere videantur.

[c] Matt. vii. 12. Luc. vi. 31. Rom. xiii. 8, 10. Gal. v. 14. 1 Tim. i. 5.

M. Jam porro volo ut mihi dicas, quænam sit Lex hæc quam narras, eademne illa quam nos vocamus Legem naturæ, an præter eam etiam altera?

A. Id olim abs te me didicisse memini, præceptor, nempe Legem, ut rationem summam in natura humana a Deo insitam fuisse, cum [d]integra adhuc ea esset, et incorrupta (ut quæ scilicet ad Dei imaginem erat creata); itaque Lex naturæ et est, et dicitur. Post contractam vero peccati labem, tametsi

[d] Gen. i. 26, 27, 31. Eph. iv. 24. Col. iii. 10.

sapientum [e]animi utcunque hujus nativi luminis fulgore illustrati sint, in maxima tamen hominum parte ita restinctum est hoc lumen, ut ejus vix ullæ scintillulæ conspiciantur. Adeoque contra divini decreta atque edicta in hac conscripta Lege, quæ amorem in Deum atque homines summum jubent, Dei [f]atque hominum odium acre penitus est multorum animis insitum; unde tanta in Deum impietas, tam hostilis crudelitas in homines.

[e] Luc. i. 79. Act. xiv. 17. et xvii. 27. Rom. i. 19.

[f] Matt. xxiv. 9, 10, 12. Joan. xvii. 14. 2 Tim. iii.

M. Unde fit quod Deus voluerit eam in tabulis describi?

A. Dicam: Imago [g]Dei in homine post Adami lapsum, nativo malo, et consuetudine prava adeo obscurata est, et judicium naturale adeo vitiatum, ut homo non satis intelligat, honestum turpi quid intersit, nec justum injusto. Eam itaque imaginem volens benignus Deus in nobis renovare, per Legem in tabulis descriptam [h]perfectæ justitiæ regulam expressit; adeo quidem ad vivum, ut nihil a nobis aliud requirat Deus, nisi ut eam sequamur. Neque enim aliud ille sacrificium acceptum habet, quam [i]obedientiam; et proinde exosum illi est, quicquid præter ejus prescriptum in Religione, aut pietatis negotio suscipimus.

[g] Luc. i. 79. 1 Cor. ii. 14. Eph. iv. 17, 18.

[h] Psal. xix. 8. et cxix. 1. Baruc. iv. 1.

[i] 1 Reg. xv. 22. Osee. vi. 6. Marc. xii. 33.

M. Verum quum nihil de privata cujusque vocatione in hac Lege præcipiatur, quomodo potest hæc vitæ regula esse perfecta?

A. Ut nihil de singulorum officiis hic explicate præcipiatur, quum tamen quod suum est cuique [k]reddere nos lex jubeat, in summa colligit, quæ sint cujusque in suo privatim ordine, ac vitæ genere partes atque officia. Hic vero Dominus breviter et summatim paucis complexus est, quæ extant passim in Scripturis, de singulorum officiis, singulisque præceptis explicatissima.

[k] Exod. xx. 12, 15. toto capite.

M. Quum ergo formam rite colendi Dei perfectam Lex ostendat, nonne omnino secundum ejus præscriptum vivendum est?

A. Adeo quidem, ut Deus ex Legis præscripto viventibus vitam [l]polliceatur; contra vero, Legis suæ violatoribus [m]mortem denuntiet, sicut ante dictum est. Atque hanc ob causam superius in partiendo, obedientiam, ut unam ex primariis Religionis veræ partibus, recensui.

[l] Deut. viii. 1. et xxx. 15. Matt. xix. 17. Joan. xii. 50.

[m] Deut. xi. 28. et xxx. 17. Rom. i. 18. et vi. 23.

M. Justos ergo esse censes eos, qui Legi Dei per omnia obediunt?

A. Sane, siqui id præstare possint, justi ex Lege essent;

verum ea imbecillitate [n]laboramus omnes, ut nemo quod debet omni ex parte impleat. Nam ut demus inveniri, qui Legi aliqua ex parte obtemperet, non tamen is ideo coram Deo justus erit; nam [o]execrandos et detestabiles pronuntiat omnes, qui non omnia impleverint, quæ in Lege continentur.

[n] Gen. vi. 5, 8, 11. Prov. xx. 9. Rom. vii. 14, 15. Gal. ii. 16.

[o] Gal. iii. 10. Jac. ii. 10.

M. Nullum ergo mortalem ex Lege coram Deo justum esse statuis?

A. Nullum omnino. Nam et [p]Scripturæ idem pronuntiant.

[p] Job. xxv. 4. Rom. iii. 28. et iv. 15. Gal. ii. 16, 21. et iii. 10.

M. Cur ergo Legem tulit Deus, quæ perfectionem exigat facultate nostra majorem?

A. In Lege ferenda Deus non tam quid nos præstare possemus, qui nostra culpa [q]imbecillitate laboramus, quam quid ipsius justitia dignum esset, spectavit. Quum vero Deo non nisi summa [r]justitia placere possit, eam vivendi normam quam ipse descripsit, omnino perfectam esse oportuit. Deinde nihil a nobis exigit Lex, cui præstando obstricti non simus. Quum vero longissime a debita [s]Legis obedientia absimus, nulla idonea aut justa excusatione homines coram Deo sese defendere possunt; adeoque universos coram Dei tribunali Lex et reos sistit, [t]et condemnat etiam. Atque id est quod Paulus, Legem ministerium mortis, et damnationis vocat.

[q] Luc. xvii. 10. Rom. iii. 20. Gal. vi. 3.

[r] Psal. v. 4, 5, 6. 2 Cor. vi. 14.

[s] Job. iv. 17. et xv. 14. 2 Par. vi. 36. Gal. ii. 16.

[t] Rom. iii. 19. et vii. 8, 10. Gal. iii. 10.

M. An Lex ergo universos simul in hoc deploratissimo statu collocat?

A. Incredulos [u]quidem atque impios, hoc, quo dixi, loco Lex et statuit et relinquit; qui ut ne minimum quidem Legis apicem implere possunt, ita nullam prorsus in Deo per Christum fiduciam habent. Inter pios tamen, alios præterea usus Lex habet.

[u] Deut. xxvii. 26. Rom. iii. 10. Jac. ii. 10.

M. Cedo quos?

A. Principio Lex tam [x]exactam vitæ perfectionem flagitans, quasi scopum piis, ad quem collimare, et metam, ad quam eniti conveniat, demonstrat, ut ad summam rectitudinem indies proficiendo magno conatu contendant; hanc enim mentem voluntatemque Deo immortali duce pii suscipiunt. Maxime vero cavent, quantum efficere et consequi possunt, ne quod in ipsis insigne vitium fuisse dicatur. Deinde cum multo majora [y]viribus humanis Lex exigat, cumque tanto oneri se impares esse sentiant, ad petendam a Domino virtutem eos excitat. Præterea cum Lex eos perpetuo [z]reos agat, salutari dolore animos eorum percellit, et ad pœnitentiam, de qua ante me-

[x] Deut. vi. 6, 7. Jos. i. 7, 8. Psal. i. 2.

[y] Psal. cxix. 5. Rom. vii. 14. 2 Cor. iii. 5.

[z] Deut. xxvii. 26. Rom. iii. 10, 11, 12. 2 Cor. iii. 9.

mini, veniamque a Deo per Christum petendam atque impetrandam adigit; simulque ne suæ innocentiæ confidant, aut superbire coram Deo audeant, coercet. Estque illis perpetuo fræni instar, quo in Dei timore retineantur. Postremo dum absolutam justitiam [a]per opera sua se consequi non posse ex Lege discunt, cum per eam animorum suorum maculas atque sordes [b]tanquam in speculo contueantur, ad humilitatem hoc pacto eruditos, ad quærendam in Christo justitiam eos et præparat et remittit.

[a] Prov. xx. 9. Rom. i. 20, 21. Gal. ii. 16.

[b] Rom. iii. 20. et vii. 7.

M. Quantum ergo video, [c]Legem Dei, quasi pædagogum quendam ad Christum esse dicis, quæ nos per agnitionem nostri, pœnitentiam, et Fidem ad Christum recta deducat.

[c] Rom. x. 4. Gal. iii. 10, &c. 24.

A. Ita est.

Secunda pars de Evangelio et Fide.

Transitio.

M. Quum ergo abunde, ut in compendio, toti huic de Lege atque obedientia quæstioni satisfactum sit, charissime Fili, jam de Evangelio, quod Dei promissiones continet, et juris divini violatoribus Dei clementiam per Christum pollicetur, quodque Fides maxime respicit, ut dicamus, ordo postulat; hoc enim in nostra partitione secundum fuit; atque huc etiam, ipsa rerum, de quibus jam egimus, series nos quasi manu perduxit. Evangelii ergo, simulque Fidei nostræ summa quænam est?

A. Ea nimirum ipsa, qua Fidei Christianæ præcipua capita, breviter olim perstricta, continentur; quæque vulgo Symbolum Apostolorum appellatur.

M. Fidei compendium cur Symbolum nominatur?

A. Symbolum, si interpreteris, est signum, nota, tessera, aut indicium, quo commilitones ab hostibus dignoscuntur; unde compendium Fidei, quo Christiani a non Christianis distinguuntur, Symboli nomen sibi recte ascivit.

M. Sed qua de causa Apostolorum Symbolum dicitur?

A. Quod vel ab ore Apostolorum exceptum, vel ex illorum scriptis summa fide collectum, ab initio usque Ecclesiæ receptum, perpetuo inter omnes pios firmum, ratum atque immotum, ut certa atque constituta christianæ Fidei regula, permanserit.

M. Age nunc, Symbolum ipsum mihi recites velim.

A. Fiet. Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ, et in Jesum Christum, filium

EJUS UNICUM DOMINUM NOSTRUM, QUI CONCEPTUS EST DE SPIRITU SANCTO, NATUS EX MARIA VIRGINE; PASSUS SUB PONTIO PILATO, CRUCIFIXUS, MORTUUS, ET SEPULTUS EST; DESCENDIT AD INFEROS, TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS; ASCENDIT AD CŒLUM, SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS, UNDE VENTURUS EST AD JUDICANDUM VIVOS ET MORTUOS. CREDO IN SPIRITUM SANCTUM, SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, SANCTORUM COMMUNIONEM, REMISSIONEM PECCATORUM, CARNIS RESURRECTIONEM, ET VITAM ÆTERNAM.

M. Breviter ista a te, et strictim proposita sunt, mi Fili; quocirca operæ prætium est, ut de singulis quid credas, clarius dicas atque explicatius. Et primum, in quot partes totam hanc confessionem distribuis?

A. In quatuor præcipuas; quarum in prima de Deo Patre, et rerum omnium creatione; in secunda de ejus Filio Jesu Christo, quæ etiam totam redemptionis humanæ summam complectitur; in tertia de Spiritu sancto; in quarta de Ecclesia, et Divinis in ipsam beneficiis tractatur. Partitio.

M. Perges ergo ordine quatuor istas mihi partes explicare; et primum quid in ipso statim Symboli initio credendi nomine significas?

A. Me veram ac vivam, id est, [d]christiani hominis Fidem in Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum habere, eamque hac confessionis formula [e]testari me, atque comprobare.

[d] Matt. xxviii. 19. Rom i. 17. Joan. i. 12, 13. Gal. iii. 26.
[e] Matt. x. 32.

M. Estne ergo Fides aliqua, quæ vera vivaque non sit?

Rom. x. 9. Heb. iv. 14.

A. Est certe Fides quædam generalis, ut ita loquar, est et Fides mortua.

[f] Rom. i. 32. Tit. i. 16. Jac. ii. 26.

M. Quum ergo non levis momenti res sit, quam credendi, christianæque, id est, veræ ac vivæ Fidei nomine complecteris, age explica mihi quænam ea sit, quomodoque a Fide illa generali et mortua etiam distinguatur.

A. Fides in genere ea est, quæ veritati verbi Dei [g]Fidem habet; id est, quæ omnia in Scripturis de Deo, ejusque immensitate, potentia, justitia, sapientia, misericordia item in homines fideles ac pios, summaque severitate in incredulos atque impios, cæteraque in Scripturis tradita universa vera esse credit.

[g] Matt. vii. 22. Luc. xii. 47. 1 Cor. xiii. 2.

M. Annon omnia hæc etiam et vera illa, quam dicis, Fides credit?

A. Maxime; verum ea ultra progreditur, sicuti mox dicemus. [h]Nam hactenus non impii solum homines, sed et

[h] Rom. i. 32. Tit. i. 16. Jac. ii. 19.

dæmones etiam credunt; neque tamen [i]fideles proinde sunt, aut dicuntur. At vera Fides, ut omnia in verbo Dei tradita certissima esse nihil dubitat, [k]ita promissiones de Dei Patris misericordia, et peccatorum remissione fidelibus omnibus per Christum factas, quæ proprie [l]Evangelium dicuntur, amplectitur; quam qui habent, non solum [m]Deum ut potentissimum omnium Dominum, justissimumque judicem timent (quod et homines impios plerosque et [n]dæmones etiam facere jam antea diximus) verum etiam ut [o]patrem suum optimum atque clementissimum amant; cui ut placere per omnia piis studiis operibusque, quæ Fidei fructus dicuntur, uti obsequentes filios decet, student, ita de ejus [p]venia, si quando ut homines ab ejus voluntate aberrarint, per Christum impetranda, bonam certamque spem concipiunt. Peccata enim sua, Christo, cui fidunt, [q]iram Patris placante, non magis sibi unquam imputanda sciunt, quam si ea nunquam fuissent perpetrata. Et quamvis Legi, officioque erga Deum atque homines suo non satisfecerint ipsi, Christum tamen summa Legis observatione, Deo pro se cumulate satisfecisse credunt; et per hanc illius [r]justitiam et divinæ Legis observationem, in numero locoque justorum, et Deo charos haberi se, haud aliter ac si Legem observassent ipsi, persuasum habent. Atque hæc ea est [s]justitia, quam nos Fide consequi sacræ literæ declarant.

[i] Joan. i. 12. Gal. iii. 25, 26.
[k] Luc. xxiv. 47. Rom. iv. 16.
[l] Esai. lxi. 2. Luc. ii. 10,11. et iv. 18.
[m] Deut. x. 20. Psal. cxi. 10.
[n] Jac. ii. 19.
[o] Deut. x. 11. Psal. i. 2, 3. Col. ii. 6. Eph. v. 1, 2, 8.
[p] Matt. i. 21. Rom. iii. 24. et v. 1.
[q] Eph. ii. 15, 16. Col. ii. 14. Heb. x. 17. 1 Joan. ii. 1, 2.
[r] 1 Cor. i. 30. 2 Cor. v. 13. Eph. i. 6, 7. Phil. i. 11.
[s] Rom. iii. 22. Gal. ii. 16.

M. Annon ista etiam in dæmonibus, aut hominibus impiis esse possunt?

A. Nihil minus. Nam [t]tametsi Deum ut potentissimum justissimumque timeant, aut horreant potius, quum suæ eum impietatis ultorem fore sciant, in ejus tamen in se bonitate et clementia, neque ullam Fiduciam, neque ad ejus gratiam receptum aliquem habere, neque ejus voluntati obsequendi studium ullum suscipere possunt. Itaque eorum Fides, tametsi de veritate verbi Dei non ambigant, mortua [u]dicitur; ut quæ trunci instar aridi atque emortui, fructus nullos piæ vitæ, id est, amoris in Deum, charitatisque in homines, unquam ex se edat.

[t] Gen. iv. 13. Prov. x. 24. Matt. xxvii. 4, 5. Jac. ii. 19. 1 Joan. iv. 18.
[u] Matt. vii. 23. Luc. viii. 1, 13. 1 Cor. xiii. 2, 3, 13. Jac. ii. 26. Tit. i. 16.

Fidei definitio.

M. Ex his ergo, quæ hactenus commemorasti, definitionem mihi cedo vivæ illius et veræ christianæ Fidei.

A. [x]Fides est certa cognitio, paternæ Dei erga nos per Christum benevolentiæ, fiduciaque in eadem, sicuti in Evangelio testatum est, quæ [y]studium piæ vitæ, id est, Dei Patris voluntati obsequendi semper conjunctum habet.

[x] Rom. viii. 1, 14, 38, 39. Col. ii. 2, 3. 1 Thess. i. 5. Heb. x. 22, 23. et xi. 1.
[y] Psal. i. 3. Matt. xiii. 23. Gal. v. 6. 1 Pet. i. 14 15.

M. Satis explicuisti, quid Fidei, credendique nominibus significes. Perge jam, quibus commodissime possis verbis mihi edissere, quid per Dei nomen, quod in Symbolo proxime sequitur, intelligas.

A. Annitar pro meo ingenio atque facultate, præceptor optime. Intelligo [z]naturam esse unam, vel [a]substantiam, vel animum, vel mentem, vel [b]spiritum potius divinum (variis enim modis de Deo loquuti sunt sapientes, tum Ethnici, tum nostri, quum nihil de eo proprie dici possit) [c]æternum, absque principio et fine, [d]immensum; [e]incorporeum, oculis humanis minime conspicuum, majestate [f]augustissima, quem vocamus Deum; quem oportet universos mundi populos [g]revereri, et summo honore colere, omnemque in eo, ut optimo maximo, spem [h]fiduciamque collocare.

[z] Gal. iii. 20. 2 Pet. i. 4.
[a] Heb. i. 3.
[b] Joan. iv. 24.
[c] Rom. i. 20. et xvi. 26.
[d] Matt. vi. 13. et xix. 26.
[e] Joan. i. 18. Col. i. 15.
[f] Psal. civ. 31. Esai. ii. 10, 19. 1 Tim. i. 17. et vi. 16.
[g] 1 Cor. x. 31.
[h] Psal. xxxvi. 7.

M. Quum unus sit Deus, edissere cur in Christianæ Fidei confessione tres commemores, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum?

A. Non [i]multorum Deorum, sed trium distinctarum in una divinitate personarum hæc sunt nomina. In [k]una enim Dei essentia, [l]PATREM, qui Filium ab æterno ex se genuit, intueri convenit, ut originem primumque rerum omnium authorem: [m]FILIUM, ex Patre ab æterno genitum, qui sit æterna Dei Patris sapientia; [n]SPIRITUM SANCTUM, ab utroque procedentem, ut Dei virtutem, per omnia diffusam, sed ita, ut etiam perpetuo in ipso resideat: [o]neque dividi tamen propterea Deum. Ex his enim tribus personis nulla aliam, aut [p]tempore, aut magnitudine, aut dignitate anteit; sed Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, tres distinctæ Personæ, [q]æternitate æquævæ, potentia æquales, dignitate pares, Deitate unum sunt. [r]Unus ergo æternus, immortalis, omnipotens, gloriosus, optimus Max. Deus Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Ita enim de Deo Patre, Filio, et Spiritu Sancto, a Christianorum universitate, quæ Catholica Ecclesia dicitur, ex Scripturis Sacris proditum est; quum alioquin hujus mysterii immensitas tanta sit, ut ne mente quidem concipi, nedum verbis explicari queat; in quo proinde simplicitas Fidei christianæ ad credendum parata, potius quam ingenii [s]acumen ad inquirendum, vel linguæ etiam officium ad explicandum mysterium tam arcanum, atque occultum requiratur.

[i] Matt. xxviii. 19.
[k] 1 Joan. v. 7. Joan. x. 30. Gal. iii. 20.
[l] Gen. i. 1. 1 Cor. viii. 6.
[m] Joan. i. 1; xvii. 5. Col. i. 15. Heb. i. 2, 3, 5.
[n] Luc. i. 35. Joan. xiv. 26. Act. v. 3, 4. 1 Cor. xii. 4.
[o] Joan. x. 30. 1 Cor. viii. 6. Gal. iii. 20.
[p] Joan. i. 1. et v. 17, 18, 21, 23. Phil. ii. 6.
[q] 1 Joan. v. 7.
[r] Deut. iv. 35, 39. Psal. lxxxvi. 9, 10. et civ. 30, 31. 1 Tim. i. 17. In Symbolis, sive confessionibus Fidei Christ. Apost. Nicæn. et Athan.
[s] Prov. xxv. 26.

M. Verissimum quidem est quod dicis. Perge ergo; cur Deum vocas Patrem?

Prima pars Symboli, Deus Pater.

A. Ejus rei præter eam, quam ante memoravi, præcipuam causam, quod videlicet [t]naturalis sit Pater unici Filii sui ab æterno ex se geniti, duæ sunt aliæ causæ, ob quas noster etiam Pater et sit, et dicatur. [u]Una, quod nos omnes initio creavit, quodque vitam omnibus est largitus; de qua mox plura dicemus. [x]Altera vero majoris etiam momenti est, quod videlicet iterum divinitus per Spiritum Sanctum nos genuit, et [y]Fide in verum, et naturalem Filium suum Jesum Christum, nos sibi Filios adoptavit, et regno suo, ac vitæ æternæ hæreditate per eundem donavit.

[t] Matt. iii. 17. Joan. i. 14. Rom. xv. 6. 2 Cor. i. 3. et xi. 31.

[u] Gen. i. 27. Mal. i. 6; ii. 10.

[x] Joan. iii. 3, 5. 1 Pet. i. 3, 23.

[y] Joan. i. 12. Rom. viii. 15, 17, 23. et ix. 4. Gal. iv. 5, 6. Eph. i. 5, 6. Tit. iii. 7.

M. Quo sensu nomen illi omnipotentis tribuis?

A. Quod [z]mundum et universa, uti condidit, ita in potestate etiam habeat, providentia gubernet, arbitrio constituat, omnibusque, prout illi visum fuerit, imperet; sic ut nihil nisi ejus decreto permissuve fiat, nihil sit quod ille efficere non possit; neque enim otiosam quandam Dei potentiam, quam non exerceat, imaginor.

[z] Esai. xl. 22. Matt. v. 45. et x. 29. Eph. i. 11.

M. An impios etiam homines, spiritusque malignos Dei imperio subdis?

A. Quid ni? [a]Miserrime enim alioqui nobiscum ageretur, ut quibus nunquam securis esse liceret, si quid illis in nos, præter Dei voluntatem, permitteretur. Verum eos Deus quasi fræno suæ potentiæ ita coercet, ut ne movere quidem se, nisi ejus nutu aut permissu, possint unquam. Nos vero una hæc consolatio sustentat, ita nos in omnipotentis esse Patris potestate, ut ne unus [b]quidem capillus noster, nisi ex ejus voluntate, qui nobis tam bene vult, perire possit.

[a] Job. i. 10. Luc. xxii. 31, 32. Joan. x. 28. Act. ii. 23. et iv. 27, 28. et xii. 11.

[b] Luc. xii. 7. et xxi. 18.

M. Perge.

A. [c]Quum Dei Opt. Max. bonitatem atque immensitatem mens humana per se capere nullo modo possit, cœli eum et terræ, et rerum, quæ in eis continentur, universitatis creatorem esse addimus; quibus verbis, Deum in operibus suis [d]et mundi opificio, tanquam in speculo quodam contemplandum, et quoad nostra id refert, cognoscendum esse significamus. Quum enim magnitudinem illam immensam mundi videmus, ejusque partes omnes ita esse constitutas, ut neque ad speciem pulchriores, neque ad usum meliores esse potuerint; statim intelligimus Dei opificis atque ædificatoris infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem. Quis enim est tam vecors, qui cum suspexit in cœlum, Deum esse non sentiat? Imo ob hanc maxime causam Deus homines primum humo

[c] Joan. i. 18. 1 Tim. i. 17.

[d] Psal. xix. 1. et 7. 6. Rom. i. 19, 20.

excitatos, celsos et erectos constituisse videtur, ut superarum atque cœlestium rerum essent spectatores, et ipsius cognitionem, cœlum intuentes, capere possent.

M. Quomodo Deum omnia creasse dicis?

A. [e]Deum Patrem Opt. Max. initio, et ex nihilo, non solum cœlum, et universum hunc mundum aspectabilem, et res in eis omnes quæcunque continentur, [f]sed et Spiritus etiam incorporeos, quos Angelos appellamus, [g]per potentiam verbi sui, id est, Jesu Christi Filii sui, fabricasse et condidisse.

[e] Gen. i. 1. Psal. xxxiii. 6. Act. xiv. 15.
[f] Col. i. 16.
[g] Joan. i. 3. 1 Cor. viii. 6. Heb. i. 2.

M. Verum an pium esse putas, affirmare Deum Opt. Max. spiritus universos, etiam malignos illos, quos diabolos vocamus, condidisse?

A. Deus quidem eos tales non [h]condidit: sed ipsi ab origine sua, absque ulla spe recuperandæ salutis, sua ipsorum malitia exciderunt. Itaque non creatione et natura, sed naturæ corruptione mali effecti sunt.

[h] Gen. i. 31. Joan. viii. 44. Col. i. 16. Jud. 6.

M. Quid; an satis habuit Deus semel universa condidisse, omni rerum cura in posterum abjecta?

A. Hoc quidem antea breviter attigeram; cum vero tueri et conservare res conditas multo sit præstantius, quam eas semel condidisse; [i]certo credendum est, ubi mundum et omnia sic fabricasset, ea deinceps et conservasse, et hactenus conservare. Ruerent enim universa, atque ad nihilum reciderent, nisi ejus virtute, et quasi manu sustinerentur. [k]A Deo etiam totum naturæ ordinem, et rerum mutationes, quæ fortunæ vicissitudines falso putantur, pendere: [l]Deum cœlum versare, terram tueri, maria moderari, omnem hunc mundum regere, ejus numini omnia parere, ejus numine omnia gubernari certo credimus; [m]eum serenitatis et tempestatis, pluviæ et siccitatis, fœcunditatis et sterilitatis, sanitatis, ac morborum authorem esse; eum, [n]quæcunque ad vitam nostram tuendam conservandamque pertinent, et vel ad usus necessarios, vel ad honestam voluptatem expetuntur, rerumque adeo omnium, quas natura desiderat, abundantiam et copiam munifica manu suppeditasse semper, atque etiam suppeditare largissime; ut nimirum illis perinde uteremur, ac memores et pios filios decet.

[i] Psal. lxxv. 3. et civ. 10. et cxlv. 15. Heb. i. 3.
[k] Matt. x. 29, 30.
[l] Exod. xiv. 21. Psal. lxxxix. 10. et cxlvii. 8, 9.
[m] Lev. xxvi. 4, &c.
[n] Psal. cxliv. 13. et cxlv. 16, 17. Esai. li. 3. Matt. v. 45. Rom. xiv. 6. 1 Cor. x. 31. Eph. v. 4. 1 Tim. iv. 3, 4. 1 Pet. v. 7.

M. Quem ad finem, Deum Opt. Max. universa hæc condidisse existimas?

A. Mundus ipse hominum [o]causa factus est, et quæcun-

[o] Gen. i. 26, 29, 30. Psal. viii. 7, &c.

que in eo sunt, ad usum fructumque hominum parata sunt. Et ut res alias omnes Deus hominis gratia, ita hominem ipsum ad suam ipsius [p] gloriam condidit.

[p] Prov. xvi. 4. Esai. xliii. 7. Rom. xi. 36. Col. i. 16.

M. Quid ergo habes, quod dicas de prima hominis origine et creatione?

A. Id quod scripsit Moses: Deum scilicet ex argilla primum [q] hominem finxisse, illique animam et vitam inspirasse; deinde de viri latere, somno sopiti, detractam mulierem in lucem produxisse, ut eam illi vitæ sociam adjungeret. Ac propterea homo Adamus vocatus est, quia ex [r] terra traxit originem: mulier autem, quia omnium [s] viventium mater erat futura, appellabatur Eva.

[q] Gen. ii. 7. et 21, 22.

[r] Gen. ii. 7. et iii. 19.

[s] Gen. iii. 20.

M. Cum tanta in utrisque, viris pariter atque fœminis, vitiositas, improbitas, perversitasque hodie conspiciatur, an eos Deus tales ab initio condidit?

A. Nihil minus. Deus enim summe bonus, nihil nisi [t] bonum potest efficere. Hominem ergo primum Deus ad [u] imaginem et similitudinem suam condidit.

[t] Gen. i. 31.

[u] Gen. i. 26. Col. iii. 10.

M. Imago autem illa, ad quam hominem ais formatum esse, quænam est?

A. Ea est absolutissima justitia, et perfectissima sanctimonia, quæ ad ipsam Dei naturam quam maxime pertinet; quæque in [x] Christo novo nostro Adamo, præclarissime est demonstrata; cujus in nobis quædam quasi scintillulæ vix jam compareant.

[x] Rom. viii. 29. 1 Cor. xv. 49. 2 Cor. iii. 18. et iv. 4. Col. i. 15. et iii. 10.

M. Itane vix comparent?

A. Profecto; neque jam ita splendent ut in initio ante hominis lapsum, quandoquidem homo peccatorum [z] tenebris, et caligine errorum imaginis hujus splendorem restinxit.

[y] Rom. i. 22. 1 Cor. i. 18, 23. et ii. 14. et iii. 19. Eph. iv. 17.

M. At quomodo hoc factum sit dicas, volo?

A. Dicam: Cum mundum hunc fabricatus esset Dominus Deus, [a] hortum ipse paravit cultissimum, plenissimumque oblectationis et jucunditatis, quæcunque expetibiles erant, deliciis undique affluentem. Hic Dominus Deus singularis cujusdam benevolentiæ gratia hominem collocavit, omniaque illius usui permisit; tantum illi fructu arboris [b] scientiæ boni et mali interdixit, morte, si illum gustaret, denunciata. Par enim erat, ut tot beneficiis [c] affectus homo, hactenus parendo, libenter se Dei imperio obtemperare ostenderet, utque sua contentus sorte, altius sese contra conditoris voluntatem conditus ipse non efferret.

[a] Gen. ii. 8.

[b] Gen. ii. 17.

[c] Gen. iii. 11. Psal. viii. 4, 5, 6, &c.

M. Quid deinde factum est?

A. Mulier [d]a Diabolo illusa, viro persuasit, ut vetitum fructum gustaret; quæ res utrumque morti statim obnoxium effecit; deletaque illa cœlesti imagine, ad quam primum est conditus, in locum sapientiæ, virtutis, sanctitatis, veritatis, justitiæ, quibus eum ornamentis Deus induerat, teterrimæ successerunt pestes, [e]cæcitas, impotentia, impietas, vanitas, injustitia, quibus etiam malis atque miseriis progeniem suam, atque adeo omnem posteritatem implicuit et cooperuit.

[d] Gen. iii. 1, 6, 7.

[e] Act. xiv. 12, 13. et xvii. 21. Rom. i. 22. et viii. 7, 8. 1 Cor. ii. 14. Eph. iv. 17, 18, 22.

M. Verum an non nimium severe unius pomi gustum ultus esse Deus videri possit?

A. Nequis hominis scelus gravissimum, ut parvum delictum elevet, neve ex pomo tantum, [f]et immensa gula factum spectet. Nam ille una cum conjuge sua, dolosis [g]Satanæ illecebris captus atque irretitus, a Dei veritate incredulus ad mendacium deflexit; serpentis calumniis, quibus Deum et mendacii, et invidiæ, et malignitatis insimulat, fidem habuit; tot [h]beneficiis affectus, in authorem ingratissimus extitit; terræ filius, cui parum videbatur, quod ad Dei similitudinem factus esset, intolerabili [i]ambitione atque superbia, sese Dei majestati æquare affectavit; denique conditoris se imperio [k]contumaciter subduxit, imo jugum ejus petulanter excussit. Frustra ergo Adæ peccatum verbis extenuatur.

[f] Gen. iii. 6.

[g] Gen. iii. 4, 5.

[h] Psal. viii. 4, 5, 6.

[i] Gen. iii. 22.

[k] Gen. iii. 11. Ose. vi. 7. Rom. v. 19.

M. Atqui parentum culpa omnem posteritatem summa privari fœlicitate, ultimisque malis atque miseriis onerari, quomodo non iniquum videbitur?

A. Adamus generis humani primus parens extitit: ornamentis itaque illis cum Deus affecit, ut ea tam sibi quam suis, hoc est, universo hominum generi haberet simul ac perderet. Eo itaque spoliato, natura universa nuda inopsque ac bonis omnibus destituta deseritur; illoque peccati labe inquinato, quasi [l]a radice trunco vitiato, rami vitiosi enati sunt; qui vitium suum in alios ex se nascentes surculos transtulerunt. Inde autem tam breve, [m]exiguum, atque incertum vitæ curriculum nobis circumscriptum; inde nata est carnis nostræ infirmitas, [n]corporum debilitas, imbecilitas, fragilitasque humani generis; inde horribilis mentium [o]cæcitas, et animorum pravitas; inde ista distortio depravatioque affectionum, et cupiditatum omnium; hinc illud [p]seminarium, et quasi sentina peccatorum omnium, cujus vitiis genus humanum inficitur et conflictatur; cujus mali proprium verumque nomen quærentes, nostri PECCATUM ORIGINIS appellarunt.

[l] Rom. v. 12, 14, 17, 18, 19. 1 Cor. xv. 22, 48.

[m] Psal. cii. 3, 6, 7, 9, 10, 11. et ciii. 15, 16. et cix. 23, &c.

[n] Job. xiv. 1, &c.

[o] Rom. i. 22. 1 Cor. iii. 18, 19. Eph. iv. 17, 18, 19.

[p] Rom. v. 12, &c.

M. An in hac tantum vita, peccati hujus pœnas luit humanum genus?

A. Imo hoc nativo malo ita corrupta est natura et perdita, ut nisi bonitas [q]et misericordia omnipotentis Dei, afflictis nobis, adhibita medicina, tulisset opem atque auxilium, quemadmodum fortunis in calamitates omnes, corporibus in universas [r]morborum mortisque miserias incidimus; ita necessario in [s]tenebras, atque sempiternam noctem, et ignem, qui extingui non potest, ibi omni supplicio perpetuo excruciandi, præcipites rueremus. Nec mirum alias etiam res [t]conditas, eam pœnam, quam commeruit homo, in cujus usum conditæ erant, subiisse; perturbatoque in cœlo [u]et terra toto naturæ ordine, noxias tempestates, sterilitatem, morbos, atque alia infinita mala in orbem invasisse; in quas [x]miserias atque ærumnas, præter nativum illud malum, multis nostris, magnisque peccatis meritissimo incidimus.

q Gen. iii. 14, 15. Matt. i. 21. Col. i. 13.
r Gen. iii. 17, 18, 19.
s Matt. viii. 12. et xxii. 13.
t Gen. iii. 17.
u Gen iii. 17, 18, 19.
x Ose. vi. 7. 2 Cor. xi. 3.

M. O funestam atque horrendam ex peccato cladem et calamitatem! At quænam tandem illa est, quam nobis fecisse Deum medicinam dicis, in qua primi nostri parentes, et reliqui deinceps eorum posteri spem posuerunt et defixerunt?

Secunda pars Symboli. Deus Filius.

A. Ad eam nimirum salutis spem erecti sunt, quam ex Fide in Jesum Christum liberatorem atque servatorem ipsis a Deo [y]promissum conceperunt. Hoc enim est quod jam proxime in Symbolo sequitur: Credo in Jesum Christum, &c.

y Gen. iii. 14, 15.

M. An et primis parentibus nostris, Deus liberationis per Jesum Christum spem statim fecit?

A. Profecto: Nam ut Adamum [z]et Evam verbis primum graviter castigatos, de horto deturbavit, ita serpentem devovit, [a]et minatus est illi tempus olim fore, quo mulieris semen caput illi imminueret.

z Gen. iii. 11, 12, 13, 17, 23, 24.
a Gen. iii. 14.

M. Quod vero est semen illud, de quo loquitur Deus?

A. Semen [b]illud est (uti clarissime nos docet Paulus) Jesus Christus Filius Dei, verus Deus, et filius virginis, verus homo, in quo nos fiduciam atque spem nostram collocare, secundo loco in Symbolo profitemur; qui conceptus est e Spiritu [c]sancto, et genitus ex sanctæ, castæ, atque incorruptæ virginis Mariæ natura; atque ea matre sic natus et enutritus est, ut reliqui infantes, nisi quod ab omnis peccati contagione [d]omnino purus esset atque alienus.

b Gal. iii. 16, 19.
c Matt. i. 20, 21. Luc. i. 31, 35.
d Joan i. 29. Heb. iv. 15. et ix. 14.

M. An satis ergo habuit Deus semel in Veteri Testamento de hoc semine promisisse?

A. Imo promissionem hanc humano generi optatissimam, Dominus Deus parentibus [e]nostris primum factam, identidem illorum posteris confirmavit, quo majore expectatione illius præstandi homines tenerentur. Nam fœdere per circumcisionem [f]cum Abrahamo et ejus semine inito, ipsi primum, mox Isaaco ejus filio, deinde Jacobo nepoti promissum suum confirmavit. Postremo, clarissimis per Mosen [g]cæterosque prophetas suos editis oraculis, promissi sui constantiam retinuit atque servavit.

[e] Gen. iii. 14, 15.

[f] Gen. xvii. 10. et xxii. 18. et xxvi. 4. et xxviii. 14.

[g] Deut. x. 15. et xxxiv. 4. Psal. lxxxix. 4, 35. Esai. liii. et liv. 3. et lxv. 9.

M. Quid autem sibi volunt ista verba, Serpentis caput conterere?

A. In [h]Serpentis capite venenum ejus continetur, vitæque et virtutis summa consistit; caput ergo Serpentis universam vim atque potentiam, et regnum, aut, ut verius loquar, tyrannidem diaboli, serpentis antiqui significat; quam [i]universam, Jesus Christus, semen illud mulieris, in quo promissi sui summam Deus complevit, virtute mortis suæ subegit. Itaque Serpentis caput conterens, omnes sibi fidentes ab ejus tyrannide in libertatem vindicavit. Hoc enim est, quod hic in Symbolo profitemur, nos IN JESUM CHRISTUM DEI FILIUM CREDERE; id est, Jesum Christum nobis, qui impietate et scelere obstricti atque obligati, et mortis æternæ laqueis irretiti tenebamur, et serpentis Diaboli fœda servitute premebamur, libertatis vindicem esse, atque servatorem.

[h] Psal. lxxiv. 13. et cxl. 3, 4. Eccles. x. 11. Amos ix. 3.

[i] Matt. i. 21. Act. x. 38. Col. i. 13. 2 Tim. ii. 26. Heb. ii. 14, 15. 1 Joan. iii. 8.

M. Videris mihi interim, et ipsum nomen JESU, illustri admodum explicatione esse interpretatus.

A. Profecto; neque enim aliud Hebræis est JESUS, quam Σωτὴρ Græcis, Latinis SERVATOR. Nam ut vim ejus exprimant, aliud magis aptum nomen non habent. Ex his autem quæ diximus obscurum jam esse non potest, quare hoc nomen sit adeptus; solus enim ille suos æterno exitio, cui alioqui erant destinati, exemit et servavit. Et alii quidem hoc nomen usurparunt, quod corporibus hominum salutem attulisse visi sint: At [k]Jesus Christus animas simul et corpora sibi fidentium solus servare potest.

[k] Matt. i. 21. Act. iv. 10, 12. Rom. v. 9, 10. Phil. ii. 9.

M. A quo est illi hoc nomen inditum?

A. Ab [l]Angelo, Dei ipsius jussu. Nomini vero quod ipsi Deus imposuit, revera etiam eum respondere necesse fuit.

[l] Matt. i. 21. Luc. i. 31. et ii. 21.

M. Jam CHRISTI nomen quid sibi velit dicito.

A. Idem est, ac si [m]unctum diceres; quo significatur, eum summum Regem, Sacerdotem, ac Prophetam esse.

[m] Psal. ii. 6. et cix. 5. Dan. ix. 24, 25. Luc. vii. 16. Act. vii. 37.

M. Unde hoc constabit?

[n] Lev. iv. 3. 1 Reg. xvi. 1, 12, 13. 3 Reg. xix. 15, 16.

A. Ex sacra Scriptura; quæ et [n]unctionem ad tria hæc accommodat; et eadem sæpe Christo tribuit.

M. An ergo oleo, quali in priscis Regibus, Sacerdotibus, et Prophetis creandis usi sunt, unctus est Christus?

[o] Luc. iv. 18. Act. iv. 27. et x. 38. Heb. i. 9.

[p] Joan. i. 14, 16.

A. Nequaquam; verum multo præstantiore; uberrima videlicet [o]Spiritus Sancti gratia, qua repletus [p]fuit, divinisque ejus opibus accumulatissime præditus; cujus cœlestis unctionis externa illa, umbra tantummodo fuit.

M. Sibine soli hæc adeptus est, an et nobis etiam aliquas inde utilitates præbet?

A. Imo a Patre ista Christus accepit, ut nobiscum eadem, modo atque ratione, quam convenire cuique maxime novit,

[q] Luc. xxii. 29. Joan. i. 14, 16. 2 Cor. i. 21. Col. i. 13. 2 Tim. iv. 8.

communicet; [q]ex ejus enim plenitudine, ut ex unico, sancto, atque augusto fonte, haurimus omnes quicquid habemus cœlestium bonorum.

M. Non ergo mundanum dicis esse Christi Regnum?

[r] Luc. i. 32. Joan. xviii. 36. Col. i. 13, 14. 2 Tim. iv. 1.

A. [r]Minime; sed spirituale et æternum, quod verbo et Spiritu Dei, quæ justitiam secum et vitam ferunt, regitur atque administratur.

M. Quem nos ex hoc regno fructum percipimus?

[s] Rom. xiii. 12. et xvi. 20. 2 Cor. vi. 7. et x. 4. Eph. iv. 8. et vi. 11.

A. Virtute et spiritualibus [s]armis, ad carnem, mundum, peccatum, Satanam, immanes et capitales animarum nostrarum hostes debellandos, nos instruit; beatam conscientiarum libertatem largitur; denique Divinis suis opibus præditos, ad pie sancteque vivendum juvat et confirmat.

M. Qualis sacerdos est Christus?

[t] Psal. cx. 4. Heb. iv. 14, 15. et v. 6. et vii. 3, 11, 15, 16, 21, 26, &c. et ix. 14.

A. [t]Maximus, et æternus; qui solus sese Deo sistere, solus sacrificium, quod ille gratum acceptumque habeat, facere, et solus Dei iram placare valet.

M. Quo ista nostro commodo facit?

[u] Luc. ii. 14. Joan. xiv. 27. Act. x. 36. Eph. ii. 14, 17. Col. i. 20. 1 Tim. ii. 5. Heb. ix. 14, 15.

[x] Rom. viii. 14, 15. et xii. 1. Gal. iv. 5, 6. Eph. iii. 12.

A. Quia nobis a [u]Deo pacem ac veniam petit et precatur, nobis iram Dei placat, nosque Patri reconciliat. Solus enim Christus Mediator noster est, per quem cum Deo redimus in gratiam. Sed et collegas nos quodammodo sibi [x]in sacerdotio suo facit, nobis quoque dans aditum ad Patrem, ut in ejus conspectum cum fiducia prodire, et nos ac nostra omnia Deo Patri in sacrificium per ipsum offerre audeamus.

M. Prophetia Christi cujusmodi est?

A. Quum Prophetas Dei optimi maximi servos, ut voluntatem suam mortales edocerent, antea a se missos, homines

[y]contemnerent atque aspernarentur, verbumque ejus sacrosanctum suis somniis atque inventis jam plane obscurassent atque obruissent, ipse Dei Filius Prophetarum omnium Dominus in hunc mundum descendit, ut Patris voluntate quam plenissime declarata, prophetiis ac vaticinationibus omnibus finem imponeret. Patris ergo legatus [z]atque internuncius ad homines venit, ut ipso interprete, in rectam Dei cognitionem ac veritatem omnem adducerentur. Ita triplex illud officium et munus, quod Dei Filius a Patre cœlesti susceptum explevit, ut nobiscum fructum ejus omnem communicaret, Christi nomine continetur.

[y] Matt. xv. 3, 8, 9. et xxi. 34, 37. Luc. xi. 47, 50. Act. vii. 51, 52. Heb. i. 1, 2.

[z] Joan. i. 4, 5. et viii. 26, 40. et xv. 15. et xvii. 6, &c.

M. Hoc ergo in summa dixisse videris, Filium Dei non modo dici, et esse Jesum Christum, id est, Servatorem, Regem, Sacerdotem, Prophetam, sed et nobis, et ad nostrum commodum atque salutem ita esse.

A. Omnino.

M. Verum quum piis [a]omnibus hic honor habeatur, ut Dei Filii nuncupentur, quomodo Christum Filium Dei unicum appellas?

[a] Joan. i. 12, 13. et xi. 52. Rom. ix. 26.

A. Solius Christi Deus [b]naturalis est Pater, solus Christus natura Dei Filius est, ut qui ex substantia Patris genitus, uniusque cum Patre essentiæ est; nos vero Deus gratuito per Christum Filios sibi ascivit atque adoptavit. Itaque Christum unicum Dei Filium recte agnoscimus[1], quum hic illi honor suo summoque jure debeatur; Filiorum tamen nomen adoptionis [c]jure nobiscum etiam per Christum gratis communicatur.

[b] Matt. ii. 15. et iii. 17. Joan. i. 14, 49. et xiv. 10. Heb. i. 3. et v. 5.

[c] Rom. viii. 15. Gal. iv. 5. Eph. i. 5. 1 Joan. iii. 1.

M. Jam Dominum esse nostrum quomodo intelligis?

A. Quod Principatum illi Pater in [d]homines, Angelos, atque universa detulerit; quodque Dei regnum in cœlo pariter ac in terra nutu atque potestate sua administret. Hinc vero admonentur pii omnes, non sui [e]se juris esse, sed totos tum corporibus, tum animis, tum in vita, tum in morte in Domini sui esse potestate, cui ut servos fidissimos obedire, et in omnibus obsecondare oportet.

[d] Deut. x. 17. Matt. ix. 6. et x. 1. et xxi. 9. [et xxviii. 18.] Luc. i. 32. Eph. i. 20.

[e] Deut. x. 12, 20. Mal. i. 6.

M. Quid deinde sequitur?

A. Quomodo naturam humanam assumpserit, necessariaque ad salutem nostram universa præstiterit, memoratur.

M. Itane Dei Filium hominem fieri oportuit?

A. Omnino; quod enim homo in Deum peccavit, [f]hominem quoque luere atque expiare necesse erat; quod onus longe gravissimum, [g]nullus nisi homo Jesus Christus tollere

[f] Matt. xvii. 22, 23. et xx. 18, 19. Joan. xi. 50. Rom. v. 15, &c. 1 Cor. xv. 21. Phil. ii. 6, 7. Heb. ii. 9.

[g] Esai. liii.

[1] agnoscamus.]

atque sustinere poterat. Sed neque [h]mediator esse alius poterat ad Deum hominibus conciliandum, pacemque inter eos conficiendam, nisi idem Deus pariter atque homo Christus. Itaque homo factus, nostram quasi personam induit, ut in ea salutis nostræ partes susciperet, sustineret, perageret, atque absolveret.

[h] 1 Tim. ii. 5. Heb. ix. 15. et xii. 24.

M. Verum cur e Spiritu Sancto conceptus est, natusque ex Maria Virgine, potius quam consueta, ac naturali ratione procreatus?

A. Qui aliorum scelera expiare, impiosque ac damnatos in integrum restituere debeat ac possit, nulla ipsum [i]labe aut macula peccati imbutum vel aspersum, sed singulari ac summa integritate, et innocentia præditum esse oportet. Quum ergo penitus [k]corruptum et contaminatum esset humanum semen, in conceptione Filii Dei, mirificam atque arcanam Spiritus Sancti virtutem, [l]qua in utero castissimæ purissimæque Virginis, atque ex ejus substantia formaretur, intercedere oportuit, ne communi illa humani generis labe ac contagione pollueretur. Christus ergo purissimus [m]ille agnus a Spiritu Sancto, conceptu virginis sine crimine genitus editusque est, ut maculas nostras, qui ut in peccato et dedecore primum concepti natique sumus, ita deinde in turpi vita commoramur, lueret, elueret, atque deleret.

[i] Joan. i. 29. 1 Cor. v. 7. Heb. iv. 15. et ix. 14.

[k] Gen. vi. 5, 6. Psal. xiv. 2, 3. et li. 5. Rom. iii. 10.

[l] Esai. vii. 14. Matt. i. 20, 23. Luc. i. 31, 34, 35.

[m] Exod. xii. 5. Joan. i. 29. 36. 1 Pet. i. 19. Apoc. xiv. 4.

M. At cur nominatim Mariæ Virginis fit mentio, in hac confessione Christiana?

A. Ut agnoscatur esse verum illud [n]Abrahæ ac Davidis semen, de quo divinitus vaticinationibus Prophetarum prædictum atque præmonstratum fuerat.

[n] Gen. xxii. 18. Esai. xi. 1. Matt. i. 1. et xxii. 42. Rom. i. 2.

M. Ex his quæ jam sunt dicta, intelligo Jesum Christum Dei Filium, naturam humanam ad hominum salutem induisse; perge ergo, quid deinde factum est?

A. Doctrinam illam de salute per Christum restituenda, lætissimam, et modis omnibus divinam, quæ Græco vocabulo εὐαγγέλιον nominatur, a Prophetis [o]sanctis Dei servis antiquitus proditam, [p]ipse tandem Prophetarum Dominus Jesus Christus, Dei, atque idem Virginis Filius, id est, illud ipsum promissum semen, omnes luculentissime docuit; eandemque ut per universum orbem terrarum docerent, Apostolis [q]suis, quos ad illud munus elegerat, mandata dedit.

[o] Esai. liii. toto. et lxi. 1. Jer. xxxiii. 14.

[p] Luc. iv. 18. Act. iii. 22, 23. et vii. 37.

[q] Matt. xxviii. 18, 19. Marc. xvi. 15.

M. An satis habuit doctrinam hanc simpliciter et clare verbis tradidisse?

A. Imo quo propensioribus eam animis mortales amplecterentur, [r]depulsis morbis, fugatis [s]dæmonibus, atque aliis infinitis beneficiis, miraculis, et signis, quibus tota [t]ejus, atque Apostolorum suorum vita innocentissime sanctissimeque acta, refertissima erat, eandem confirmavit atque comprobavit.

[r] Matt. iv. 24. et viii. 2, 13, 15.
[s] Marc. ix. 18. Act. x. 38.
[t] Act. ii. 22, 43. et iii. 6. et v. 5, 12, 15, 16, 19.

M. At quamobrem Symbolum, omissa ejus vitæ historia, a natalibus statim ad mortem transilit?

A. Quia ea tantum in Symbolo recensentur, quæ sunt in redemptione nostra [u]præcipua, quæque illius ita sunt propria, ut ejus quasi substantiam in se complectantur.

[u] Esai. liii. toto. Act. xiii. 23, 27, &c.

M. Jam mortis ejus ordinem et modum mihi edissere.

A. A suis nefarie [x]proditus, a Judæis per calumniam malitiamque accusatus, a Pontio Pilato judice damnatus, sævis verberibus crudeliter cæsus, et indignis modis acceptus atque illusus, in crucem sublatus, illi suffixus est; atque ita omni supplicio excruciatus, ignominiosa atque acerbissima morte affectus est.

[x] Esai. liii. Matt. xxvi. 14, 59, 60, 61. et xxvii. 26, 28, 33, 34, &c. Marc. xv. toto. Luc. xxiii. toto. Joan. xviii. et xix. toto.

M. Hanccine gratiam pro cœlesti illa doctrina, et pro maximis illis atque infinitis meritis ipsi retulerunt?

A. Hæc quidem illi in eum crudeliter, malitiose, atque impie perpetrarunt; verum ipse sua sponte [y]ac volens hæc omnia perpessus atque perfunctus est, ut iratum humano generi Patrem sacrificio hoc suavissimo placaret, utque pœnas [z]nobis debitas dependeret ac persolveret, atque nos ex illis hoc modo eximeret. Neque enim inter homines inusitatum, ut alter pro altero spondeat, [a]et fidejubeat, aut luat etiam. Cum Christo autem quasi sponsore, pro nobis sic passo, Deus summo quasi jure egit; in nos vero, quorum peccata, merita supplicia, pœnasque debitas in Christum transtulit, lenitate, mansuetudine, clementia, misericordia singulari usus est. Christus ergo mortem, quæ pœna hominum sceleri a Deo immortali erat constituta, pertulit, ac perferendo vicit. Sed et morte sua victum et subactum fregit, ac domuit illum, qui mortis tenebat imperium, [b]id est, diabolum, a cujus nos tyrannide atque servitute in libertatem vindicavit.

[y] Matt. xx. 28. Marc. x. 45. Joan. x. 11, 15, 17, 18. Rom. iv. 25. Col. i. 20.
[z] Esai. liii. toto. 2 Cor. v. 21. Gal. i. 4. Eph. i. 7. Col. ii. 14.
[a] Gen. xlii. 19, 24, 37. et xliii. 9, 23. et xliv. 16, 32, 33.
[b] Act. x. 38. Col. i. 13. Heb. ii. 14.

M. Verum quum nos morte, quæ quotidie imminet atque impendet, nihilo minus mulctemur, et peccati nostri pœnas luimus, quem tandem ex hac victoria fructum percipimus?

A. Amplissimum profecto. Nam morte Christi effectum est, ut mors [c]fidelibus jam non sit interitus, sed quædam quasi migratio commutatioque vitæ, brevisque adeo et certa

[c] Luc. xxiii. 43. Joan. xi. 25, 26.

in cœlum transmissio, quo ducem nostrum intrepide sequi debemus; qui sicuti morte non interiit, ita nec perire nos patietur. Quocirca pii [d]mortis metu, quæ laborum, solicitudinum, atque malorum hujus vitæ omnium perfugium illis et dux in cœlum sit, exhorrescere jam amplius, aut trepidare non debent.

[d] Joan. xi. 11. 1 Cor. xv. 18. 1 Thess. iv. 13, 14.

M. Ecquod aliud commodum nobis ex Christi morte accedit?

A. Qui unius cum Christo per Fidem sunt corporis, [e]in his pravi affectus et appetitus vitiosi, quos Carnis concupiscentias vocamus, quasi una cum eo in crucem acti, emoriuntur, ne amplius in animis nostris dominentur.

[e] Rom. vi. 4, 7, 11, 12. 13, 22. et viii. 1, 2, 3, 10, 11, 13. Col. ii. 13.

M. Romanus Præses sub quo passus est, cur diserte nominatur?

A. Primum, personarum et temporum designatio rebus fidem tribuit; deinde, Christum suo, atque a Deo assignato et constituto tempore, naturam nostram suscepisse, ac mortem oppetiisse res ipsa indicat: [f]quum sceptrum videlicet a Judæ posteris ad Romanos, [g]ac alienigenas Reges, qui precarium sub Romanorum imperio Regnum obtinebant, translatum jam esset. Ad hæc, Christum gentibus [h]ad supplicium tradendum fore, et sententia judicis capite damnandum, divinitus olim fuerat præmonstratum.

[f] Gen. xlix. 10. Dan. ix. 25.
[g] Luc. ii. 1. et iii. 1.
[h] Psal. ii. 2 Luc. xviii. 31, 32. et xxiv. 26.

M. Id quamobrem tandem?

A. Sententia judicis innocens damnatus est, ut sontes nos, quorum causa Divino judicio convicta atque damnata erat, pro cœlesti [i]tribunali absolveret, et in integrum restitueret. Si enim a latronibus jugulatus, aut commota et concitata seditione, a privatis hominibus ferro trucidatus fuisset, nullam ea mors satisfactionis, compensationisque speciem habuisset.

[i] Esai. liii. 3, 8. Rom. v. 1, 6. 8. et viii. 1. 2 Cor. v. 18, 21. 1 Pet. iii. 18.

M. Atqui Pilatus de illius innocentia testimonium dixit.

A. Recte hoc illi testimonium tribuit [k]Pilatus, cui de ejus innocentia plane constitit. Nam si [l]nocens extitisset, minime fuisset aptus atque idoneus, qui alieni peccati pœnas sufferret atque persolveret, Deumque placatum peccatoribus efficeret. Eum tamen postea, assiduo Judæorum clamore atque convitio jactatus, et improbissimis vocibus [m]fatigatus atque victus, idem ille Pilatus innocentem de sententia populi condemnavit. Unde liquet non sua ipsum peccata, quæ [n]nulla in eo erant, nec pœnas ipsi debitas morte luisse, sed debitas

[k] Matt. xxvii. 18, 23. Marc. xv. 10. Luc. xxiii. 14. Joan. xviii. 38.
[l] Esai. liii. 5. Joan. i. 29, 36. 1 Pet. iii. 18.
[m] Matt xxvii. 22. Luc. xxiii. 18, 21, 23, 24.
[n] Esai. liii. 4, 5. 1 Pet. ii. 24. et iii. 18.

hominum sceleri, sibi indebitas pœnas sua voluntate in se susceptas subisse, sustinuisse, atque dependisse; et nostrorum flagitiorum maculas morte voluntaria, et suo innocentis sanguine luisse atque eluisse.

M. At qua de causa populus summa et singulari integritate atque innocentia virum tam acerbe et penitus oderat?

A. Sacerdotes, Pharisæi, et Scribæ, invidiæ [o]incendio flagrantes, quum [p]veritatis vim atque lucem ferre non possent, in ejus vindicem atque assertorem, imperitæ [q]multitudinis odium concitarunt.

M. Quum judicio damnatus sit, quomodo sua ipsum sponte mortem obiisse dicis?

A. Si Pharisæi, aut Scribæ, aut Judæi alii, aut simul universi, vitæ necisque potestatem in Christum habuissent, jamdudum illi mortem maturassent; sæpe enim [r]antea illi perniciem necemque machinati fuerant. Sed et quum in aliud tempus supplicium ejus differre statuissent, [s]quod festus ille Azymorum dies, quem anniversarium summa religione cæremoniaque celebrare solebant, jam adesset: ne id quidem efficere potuerunt, quin sub ipsum diem festum, alieno ipsis tempore, sed divinitus huic rei constituto, pateretur. Unde satis constat, in ipsorum manu ac potestate nulla harum rerum aut temporum momenta sita fuisse, sed sua ipsum [t]voluntate, nulla vi coactum, hanc mortem pro nostra salute oppetiisse.

M. Quare eum potissimum necis diem illi Deus destinavit?

A. Ut ex ipso etiam tempore intelligeretur, Christum esse illum [u]Paschalem, id est, vere castum purumque agnum; qui morte mactatus, gratissimam se Patri victimam pro nobis præberet.

M. Quum eligendæ mortis optio penes ipsum fuerit, cur in crucem agi voluit, potius quam alio quovis supplicio affici?

A. Primum quidem ex Patris sui voluntate, ad quam se [v]conformavit, quæque tot vaticinationibus, oraculis, signis, atque indiciis divinitus olim prodita fuit atque declarata. Deinde, ultima omnia pati voluit pro nobis, qui ultima omnia eramus commeriti. Erat enim illud mortis genus præ cæteris omnibus [w]execrandum et detestabile, quo potissimum tamen pro nobis occumbere voluit, ut diram execrationem, qua scelera nos nostra devinxerant, in se susciperet, eaque nos hoc pacto exolveret. [x]Contumelias enim omnes, omnia probra atque supplicia, pro salute nostra levia omnino sibi esse, atque

o Matt. xxvii. 18. Marc. xv. 10.
p Matt. xv. 12. Luc. xx. 19. Joan. viii. 40, 45 et xi. 47.
q Matt. xxvii. 20. Marc. xv. 11.
r Luc. xi. 53. et xx. 19. Joan. viii. 59. et xi. 53, 57.
s Matt. xxvi. 4. Marc. xiv. 1.
t Esai. liii. 7, 12. Matt. xx. 28. et xxvi. 53. Joan. x. 17.
u Matt. xxvi. 2. Luc. xxii. 1, 7. Marc. xiv. 1. 1 Cor. v. 7. Heb. vii. 27.
v Esai. liii. 12. Matt. xxvi. 39, 42. Marc. xv. 28. Luc. xxii. 37. Joan. iii. 14.
w Deut. xxi. 23. Gal. iii. 13.
x Esai. liii. toto. Psal. xxii. 6, 7, 12, 13, &c. Matt. xxvi. 67. et xxvii. 21, 26, 28, 34, 38, 44, 48. Phil. ii. 7, 8.

pro nihilo duxit; adeoque contemptus, abjectus, et omnium hominum infimus esse sustinuit, quo nos plane perditos ad amissæ salutis spem erigeret.

M. Ecquid amplius de Christi morte dicendum habes?

A. [y]Christum non communi modo morte in hominum conspectu mulctatum, sed et æternæ mortis horrore perfusum fuisse; cum universis Inferorum copiis quasi manum conseruisse, atque luctatum esse; pro summo Dei tribunali judicium triste, Divinæque animadversionis gravem severitatem subiisse; in summas angustias adductum fuisse; horribiles formidines, atque acerbissimos animi dolores, quo justo Dei judicio per omnia satisfaceret, iramque ejus plene placaret, pro nobis perpessum atque perfunctum esse. Peccatoribus enim, [z]quorum hic quasi personam Christus sustinuit, non præsentis modo, sed et futuræ etiam æternæque mortis dolores atque cruciatus debentur. Quum vero humani generis perditi jam atque damnati culpam pariter, justamque pœnam ita in se susciperet atque sustineret, tam gravi metu, tantoque animi motu ac dolore perturbatus est, [a]ut exclamaret, Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?

[y] Esai. liii. 6. Psal. xxii. 1. Matt. xxvi. 38. et xxvii. 46. Luc. xxii. 43.

[z] Esai. liii. 4, 5, 8. 1 Pet. iii. 18.

[a] Psal. xxii. 1, 6. Matt. xxvii. 46.

M. An non ignominia interim hoc pacto Dei Filius afficitur, aut desperationis illi nota quædam inuritur?

A. Ille quidem hæc omnia absque omni omnino [b]peccato perpessus est; tantum abest, ut ulla animum ejus desperatio occuparet. Nunquam enim interea Patri [c]confidere, et bene de salute sperare desiit, nec circumfuso undique pavore obtorpuit unquam, aut dolore oppressus fuit; et cum universa [d]inferorum potestate luctatus, adversam vim omnem, et furentes ac violentos impetus fregit, atque superavit; universaque hæc in se suscepta, funditus delevit; ipseque in primis beatus nihilominus permansit, beatitudinemque suam nobis, qui ipsi fidimus, impertivit. [e]Nisi enim hac ejus vere beata morte salutem vitamque essemus consequuti, sempiterna omnes morte perpetuo perieramus.

[b] 1 Pet. ii. 22.

[c] Matt. xxvi. 42. Luc. xxiii. 46. Heb. v. 7.

[d] Ose. xiii. 14. 1 Cor. xv. 26, 54, 55. Col. i. 13, 14. 2 Tim. i. 10. Heb. ii. 14, 15.

[e] Joan. viii. 24. Eph. ii. 12. Col. i. 13. Heb. ii. 14.

M. Verum in Christum, qui Deus sit, quomodo potuit tantus animi dolor atque trepidatio cadere?

A. Secundum humanæ [f]naturæ affectionem, Divinitate interim potestatis suæ vim non intendente, hoc effectum est.

[f] Matt. xxvi. 41. Rom. viii. 3. 1 Pet. iv. 1.

M. Jam ergo mihi breviter summatimque amplissima illa commoda, quæ ex Christi morte cruciatuque longe maximo percipiunt fideles, recense.

A. In summa, [g]unico mortis suæ sacrificio, peccata nostra coram Deo expiavit, et placata Dei ira nos in gratiam cum eo reduxit; sanguine suo ut purissimo [h]lavacro, animarum nostrarum sordes atque maculas omnes eluit, atque delevit; et peccatorum nostrorum [i]memoriam, ne amplius unquam in Dei inspectum veniant, sempiterna oblivione obruens, [k]Chirographum illud, quo tenebamur et convincebamur, decretumque, cujus sententia damnabamur, induxit, et inane factum abolevit. Hæc ille omnia vivis pariter atque mortuis, illi dum vixerunt [l]confisis, morte sua præstitit. Postremo mortis suæ vi, cupiditates alioqui effrænatas atque indomitas, in iis, qui illi per fidem omnino adhærescunt, ita [m]frænat ac frangit, et illarum ardorem ita restinguit, ut spiritui facilius obtemperent atque obsequantur.

[g] Heb. vii. 27. et ix. 12. et x. 12, 14.
[h] Heb. ix. 14. 1 Joan. i. 7. Apoc. i. 5.
[i] Psal. xxxii. 1, 2. Rom. iv. 7, 8. Heb. x. 17.
[k] Col. ii. 14.
[l] Joan. iii. 16. et xi. 25, 26.
[m] Rom. vi. 4, 8, 11, &c. et viii. 1, 2, 3, 10, 11, &c. Col. ii. 13.

M. Cur sepultum fuisse etiam addis?

A. Exangue, atque [n]exanimum corpus sepulchro conditum est, ut mors ejus testatior esset, utque de ea inter omnes constaret. Si enim statim revixisset, mortem ejus plerique in disceptationem et controversiam vocassent, atque ita in dubium ea ventura videretur.

[n] Esai. liii. 9. Matt. xii. 40. et xxvii. 59, 60. 1 Cor. xv. 4, 5.

M. Quid sibi vult quod sequitur de ejus ad Inferos descensu?

A. Christum ut corpore in terræ viscera, ita anima a corpore separata, ad inferos descendisse; simulque etiam mortis suæ virtutem atque efficacitatem ad mortuos, [o]atque inferos adeo ipsos ita penetrasse, ut et incredulorum animæ acerbissimam justissimamque [p]infidelitatis suæ damnationem, ipseque inferorum princeps [q]Satanas, tyrannidis suæ, et tenebrarum potestatem omnem debilitatam, fractam, atque ruina collapsam esse persentiret; contra vero [r]mortui, Christo dum vixerunt fidentes, redemptionis suæ opus jam peractum esse, ejusque vim atque virtutem, cum suavissima certissimaque consolatione, intelligerent atque perciperent.

[o] 1 Pet. iii. 19.
[p] Joan. viii. 24.
[q] 1 Cor. xv. 55. Col. i. 13, 14. Heb. ii. 14, 15.
[r] Joan. v. 25. et xi. 25, 26. Rom. xiv. 9. Col. i. 19, 20.

M. Jam ad sequentia pergamus.

A. Tertio die post [s]revixit, et quadraginta dierum spatio, suis se vivum frequenter exhibuit, et inter discipulos versatus est, edens ac bibens cum illis.

[s] Matt. xxviii. 6, 9. Marc. xvi. 6, 9. Luc. xxiv. 6, 7, 14, 15. Joan. xx. 14, 19, 20, 26. et xxi. 1, 4. Act. i. 3, 4. et ii. 24, 32.

M. Quid, an non satis erat, quod per mortem ejus peccatorum liberationem veniamque impetramus?

A. Id non satis erat, si vel ejus, vel nostri rationem habeas. Nisi enim revixisset, minime putaretur [t]Filius Dei;

[t] Rom. i. 4.

quin et illud ipsi, dum in cruce penderet, ii qui viderant, exprobrabant atque objiciebant: [u]Alios, inquiunt, servavit, seipsum non potest servare; descendat nunc de cruce, et credemus ei. Jam autem excitatus a mortuis, ad vitæ perennitatem, [x]Divinitatis suæ potentiam declaravit majorem, quam si descendendo de cruce, mortis terrores refugisset. [y]Mori quidem omnibus est commune; tametsi vero intentatæ morti quidam se ad tempus subduxerunt, mortis tamen semel oppetitæ vincula solvere, aut abrumpere, et virtute propria reviviscere, id unici Filii Dei Jesu Christi, authoris vitæ, proprium est; quo se [z]peccati, et mortis, ipsiusque adeo Diaboli victorem demonstravit.

u Matt. xxvii. 40, 41, 42. Marc. xv. 30. Luc. xxiii. 35, 37.

x Rom. i. 4.

y Heb. ix. 27.

z Rom. i. 4. et vi. 4, 9. et xiv. 9. 1 Cor. xv. 54, 55, 57. Eph. i. 20. Col. i. 17, 18. 1 Joan. iii. 8. Heb. ii. 14.

M. Quam aliam ob causam excitatus est?

A. Ut [a]Davidis, et aliorum sacrorum vatum implerentur oracula, qui prædixerunt fore, ut nec corpus ejus tentaretur corruptione, nec anima apud inferos relinqueretur.

a Psal. xvi. 10. Matt. xii. 40. Act. ii. 26, 31.

M. At quas nobis utilitates præbet, quod revixit Christus?

A. Multiplices, et varias. Inde enim nobis [b]justitia, qua ante carebamus; inde innocentiæ [c]studium, quam Vitæ novitatem vocamus; inde vires, et ad pie sancteque vivendum virtus nobis, ac robur accedunt; inde nobis spes, et mortalia corpora nostra a morte in [d]integrum aliquando tandem restituenda. Si enim Christus ipse [e]morte absumptus fuisset, liberator noster minime extitisset; quæ enim nobis spes esset reliqua salutis per illum, qui seipsum non servarit? Fuit igitur et consentaneum illi personæ quam sustinebat Dominus, et necessarium nobis ad salutem adjumentum, ut primum Christus [f]seipsum morte liberaret, post autem, ut nobis mortis claustra rumperet, atque revelleret; atque ita salutis nos nostræ spem in resurrectione ipsius collocaremus. Neque enim fieri potest, ut Christus [g]caput nostrum reviviscens, nos corporis sui membra, morte et interitu deleri omnino sinat.

b Rom. iv. 25.

c Rom. vi. 4, 5, 11, 12, 13. Col. iii. 1, 2.

d Joan. xi. 25. Rom. viii. 11. 1 Cor. xv. 20, 21, 22.

e 1 Cor. xv. 13, 14, 16, 17.

f Rom. viii. 11. 1 Cor. xv. 11, 12, 20, 21. 1 Pet. i. 3.

g Eph. i. 22. et iv. 15, 16. et v. 23. Col. i. 18.

M. Attigisti, mi Fili, principes causas resurrectionis Christi; nunc de ejus in cœlum ascensu quid censeas, libet audire.

A. In Apostolorum suorum conspectu, circumfusa velatus nube, in cœlum [h]ascendit, aut potius supra omnes cœlos, ubi ad Dei Patris dexteram assidet.

h Marc. xvi. 19. Luc. xxiv. 51. Act. i. 9, 10.

M. Hoc quomodo sit intelligendum dicito.

A. Simplicissime quidem Christum [i]corpore in cœlum ascendisse, ubi prius corpore non fuerat; terramque, ubi prius corpore fuerat, reliquisse. Nam Divina natura, quæ omnia implet, et in cœlis semper extitit, et eadem, ac spiritu suo [k]Ecclesiæ suæ semper in terris præsens adest, aderitque usque ad mundi dissolutionem.

[i] Joan. xiv. 19. et xvi. 10, 16, 28.

[k] Matt. xviii. 20. et xxviii. 20.

M. Aliam ergo Divinitatis ejus rationem, humanitatis aliam esse dicis?

A. Dico, Præceptor; neque enim aut de ejus Divinitate corpus, aut de illius corpore Deum facimus. Hæc enim [l]creata est, illa minime; hanc in cœlum assumptam, in cœlo [m]manere; illam autem sic [n]ubique esse, ut cœlum et terram impleat, testantur sacræ Scripturæ.

[l] Esai. vii. 14. Matt. i. 2, 23. Luc. ii. 7, 40, 52. Joan. i. 3, 14. Gal. iv. 4.

[m] Marc. xvi. 19. Luc. xxiv. 51. Act. i. 9, 10. et iii. 21. Eph. iv. 10.

M. Verum, an aliquo modo corpore præsentem nobis adesse Christum dicis?

A. Si magna parvis componere licet, sic Christi corpus præsens adest nostræ fidei, ut sol cum cernitur adest oculo; nulla enim res, quæ sub sensus cadit, ad similitudinem Christo propius accedit, quam sol; qui cum cœlum semper occupet, et proinde oculum revera non contingat, tamen corpus solis præsens aspectui adest, nihil id impediente tanta intervalli distantia. Sic Christi corpus, quod ejus ascensu nobis sublatum est, [o]quodque reliquit mundum, et ad Patrem abiit, sensibus quidem nostris abest; Fides tamen nostra [p]versatur in cœlo, atque intuetur solem illum justitiæ, ac præsens præsenti in cœlo vere adest, ut visus noster adest corpori solis in cœlo, aut sol in terris nostro visui. Præterea vero, quemadmodum Sol lumine suo rebus omnibus adest, sic etiam et Christus Divinitate, Spiritu, atque potentia sua [q]præsens adest omnibus, atque omnia complet.

[n] Joan. i. 3. et xvi. 15. 1 Cor. xv. 28. Eph. i. 23. Col. i. 16, 17.

[o] Joan. xiv. 19. et xvi. 10, 28.

[p] Act. vii. 55. Col. iii. 1. Heb. iv. 16. et x. 22. et xi. 1, 3.

[q] Matt. xxviii. 20. 1 Cor. xv. 28. Eph. i. 23. Col. i. 17, 18.

M. Jam quod ad Christum attinet, quid potissimum spectas in ejus ascensu, sessioneque ad dexteram Patris?

A. Par erat ut Christus, qui a [r]summo honoris atque dignitatis gradu, ad infimam servi conditionem, ad ignominiam damnationis atque probrosæ mortis descenderat, amplissimam rursum gloriam atque splendorem obtineret; eundem nimirum, quem ante habuerat, ut scilicet humilitati et ignominiæ gloria ejus atque majestas proportione quadam responderet. Quod et D. Paulus ad [s]Philippenses scribens clarissime docet: Factus est, inquit, obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus illum Ecclesiæ caput constitutum, supra

[r] Phil. ii. 6, 7, 8.

[s] Phil. ii. 8, 9, 10. Eph. i. 20, 21, 22, 23. Col. i. 18. Heb. ii. 9.

omnes principatus evectum, cœli et terræ imperio, ut omnia gubernet, donatum, ad summam extulit sublimitatem, et dedit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium, et infernorum.

M. An quum Dei dexteram, et sessionem nominas, esse Deum humana specie, aut figura, animo et cogitatione fingis?

A. Nequaquam, Præceptor; sed quia nobis sermo est de Deo apud homines, humano more, quomodo delatum sibi a Patre regnum Christus acceperit, utcunque exprimimus. Solent enim Reges, quos [t]præcipuo honore dignantur, suæque dominationis vicarios constituunt, sibi ad dexteram collocare. Istis ergo verbis significatur, Deum Patrem Filium suum Christum [u]caput Ecclesiæ constituisse; per quem suos tueri, et rerum universitatem gubernare velit.

[t] 1 Reg. ii. 19. Psal. cx. 1. Matt. xx. 21.

[u] Eph. i. 22. et iv. 15, 16. et v. 23. Col. i. 18.

M. Recte; jam nos ex ejus ascensu in cœlum, sessioneque ad dexteram Patris, quid capimus commodi?

A. Primum, Christus ut in terram, quasi exilium, nostra causa descenderat, ita et cœlum, paternam hæreditatem adiens, nostro nomine ingressus est; [x]viam atque aditum illuc nobis patefaciens, januamque cœli, nobis antea propter peccatum clausam, aperiens. Nam cum Christus caput nostrum, humanam nostram carnem secum in cœlum vexerit, nos corporis sui membra, tam [y]potens atque benevolum caput in terra perpetuo non relinquet. Præterea in conspectu [z]Dei astans, et nos illi commendans, atque pro nobis intercedens, causæ nostræ patronus existit; quo advocato, causa non cademus.

[x] Joan. xiv. 2. 2 Cor. v. 1. Eph. ii. 18. Heb. x. 19, 20, 22.

[y] Eph. i. 22, 23. et iv. 15, 16. et v. 23. Col. i. 18.

[z] Joan. xvi. 26. Rom. viii. 34. Heb. vii. 25. et ix. 24. 1 Joan. ii. 1.

M. At cur non potius in terris hic nobiscum mansit?

A. Rebus, quæ illi a [a]Patre fuerant mandatæ, quæque ad salutem nostram pertinerent, omnibus perfunctus cum esset, nihil illi opus fuit diutius in terris versari. Sed et quæ faceret, si corpore præsens adesset, ea omnia absens facit, tuetur, juvat, corroborat, corrigit, coercet, castigat. Præterea Sacrum Spiritum [b]suum, uti promisit, cœlo in corda nostra demittit, ut certissimum benevolentiæ suæ pignus, per quem e tenebris nos atque caligine in lucem vocat, mentium cæcitatem illuminat, mœstitiam ex animis nostris pellit, et illorum vulneribus medetur; efficitque Divino [c]Spiritus sui instinctu, ut cœlum intuentes, mentes animosque nostros humo excitatos, ab affectionibus pravis, et terrenis rebus sursum, ubi Christus

[a] Joan xiv. 31. et xvii. 4. et xix. 30.

[b] Joan. xiv. 16, 26. et xvi. 7, 13. Rom. v. 5 et viii. 9, 16. 1 Cor. xii. 4, &c. 2 Cor. i. 22. Eph. i. 17.

[c] Rom. viii. 4, &c. Col. iii. 1, 2. Eph. iv. 22, 30.

est ad dexteram Patris, erigamus; cogitantes, spectantesque supera atque cœlestia, celsi et erecti hæc nostra exigua contemnamus, vitam, mortem, divitias, paupertates, humanaque omnia excelso magnoque animo despicientes. Summa denique illa sit, Christum ad dexteram Dei assidentem, [d]potentia, prudentia, providentia sua mundum universum regere atque administrare, movere, gubernare, et moderari omnia; eadem usque facturum, quoad mundi fabrica dissolvetur.

[d] Matt. xxviii. 18. Luc. i. 33. Joan. xvii. 2. Eph. i. 20, 21. Phil. ii. 9, 10.

M. Quum ergo corpore sublatus in cœlum, suos hic in terris Christus non destituat, crasse judicant qui præsentiam absentiamque illius solo corpore metiuntur.

A. Sane. Nam res quæ incorporeæ sunt, sub sensum cadere non possunt. Quis unquam suam ipsius animam viderit? Nullus. At quid nobis adest præsentius, quid propinquius, conjunctiusve, quam anima cuique sua? Quæ spiritualia sunt, non videntur nisi [e]oculo Spiritus. Christum igitur qui in terris videre vult, aperiat oculos non corporis, sed animi et Fidei, et videbit præsentem, quem oculus non videt.

[e] Joan. viii. 47. et xiv. 21. Gal. iii. 1. Eph. i. 18.

M. At quibus peculiariter et efficacissime adesse eum præsentem agnoscit Fides?

A. Conspiciet eum Fidei acies præsentem, atque adeo in medio, ubicunque sunt duo vel tres congregati [f]in nomine ejus; videbit præsentem suis, id est, vere piis omnibus usque ad sæculorum omnium exitum. Quid dixi? Christum videbit præsentem? Imo et videbit, et sentiet in seipso habitantem quisque pius, haud aliter atque animum suum proprium. Habitat [g]enim ac residet in animo ejus, qui suam fiduciam omnem atque spem in eo collocat.

[f] Matt. xviii. 19, 20. et xxviii. 20. Joan. xiv. 18, 21.

[g] Joan. xiv. 23. Eph. iii. 16, 17. Col. iii. 11.

M. Ecquid præterea habes adhuc dicendum?

A. Christus ascendendo assidendoque ad dexteram Patris, falsam [h]illam opinionem, quam aliquando Apostoli [i]etiam ipsi acceperant, amovit atque ex hominum animis penitus evellit, quod scilicet Christus in terris nobis conspicuus regnaturus esset, haud aliter ac reliqui reges terræ, et principes mundani. Hunc [k]errorem mentibus nostris eripere, ac de regno suo magis sublimia cogitare nos voluit Dominus; abesse ergo ab oculis, atque omni sensu corporeo voluit, ut ea ratione, Fides [l]nostra et excitata et exercitata sit, ad intuendum moderationem et providentiam ejus, qui corporeo aspectu non sentitur.

[h] Luc. xvii. 20, 21. Joan. vi. 15.
[i] Matt. xx. 21. Luc. xxiv. 21. Act. i. 6.
[k] Joan. xviii. 36.
[l] Eph. i. 18. Col. iii. 1, 2.

M. Ecqua alia ratio est, quare e terris in cœlum se subduxerit?

A. Cum non unius alicujus regionis terræ, sed omnium [m]terrarum orbis pariter atque [n]cœli princeps sit, vivorum pariter atque mortuorum Dominus; par erat, ut clam sensibus nostris regnum suum administraret. Nam si sub aspectum veniret, locum atque sedem mutare, huc [o]et illuc identidem trahi, et nunc in hanc regionem, nunc in aliam migrare eum opus esset, ut suscepta negotia transigeret. Si enim eodem momento temporis ubique omnibus præsens adesset, jam non homo, sed spectrum potius esse, neque corpus habuisse verum, sed imaginarium videretur; aut certe quod Eutyches censuit, corpus ejus abiisse in Divinitatem, aut ubique esse putaretur. Unde mille continuo nascerentur opiniones falsæ, quas omnes, corpore integro in cœlum sublato, depulit, animosque hominum maximis erroribus liberavit. Mundum interim, tametsi nobis non conspicuus, summa [p]virtute, et sapientia admirabiliter regit atque administrat. Hominum est, humana quadam ratione respublicas suas gubernare et moderari; Christi autem, id est, Filii Dei, divina.

[m] Mat. xxviii. 18. 1 Cor. xv. 24. 25, 27, 28.
[n] Rom. xiv. 9. Phil. ii. 9, 10.
[o] Luc. xvii. 20, 21.
[p] Matt. xxviii. 18. Phil. ii. 9, 10. Apoc. xi. 15.

M. Attigisti præcipua quædam ex infinitis et immensis beneficiis, quorum fructum ex Christi morte, resurrectione, et ascensione, percipimus; nam universa ne mente quidem atque animo humano concipi, nedum verbis atque dicendo explicari ullo modo queunt. Hactenus tamen scientiam in hac re tuam experiar, ut mihi prima rerum capita, ad quæ reliqua omnia referuntur, breviter et summatim describas.

A. Dico igitur, cum ex his, tum etiam ex aliis Christi actionibus duplicem nos utilitatem capere. Unam, quod quæcunque fecit, ea omnia nostro commodo fecerit; adeo quidem, ut perinde [q]nostra sint, modo eisdem firma vivaque Fide inhæserimus, ac si nos ea fecissemus ipsi. Ipse quidem cruci suffixus est, et nos cum ipso in crucem sublati sumus, et nostra in eo peccata sunt punita. Ipse mortuus est et sepultus, nos itidem una cum peccatis nostris mortui sumus et sepulti; idque ita, ut omnis peccatorum nostrorum memoria, sempiterna oblivione penitus deleatur. Ipse a morte excitatus est, et nos cum eo reviximus, resurrectionis et vitæ ejus sic facti participes, ut nobis deinceps mors non dominetur; est enim idem in nobis [r]Spiritus, qui Jesum a mortuis excitavit. Postremo, præterquam quod ab ascensu ejus

[q] Esai. ix. 6. 1 Cor. xv. 48, 49. Rom. vi. 6, 7, &c. et viii. 32 et xiii. 14. Gal. ii. 20. et iii. 27. Heb. iii. 14. et x. 17.
[r] Rom. viii. 11.

Spiritus Sancti [s]dona cumulatissime nobis accesserunt, nos secum etiam in cœlum sublevatos, sublatosque tulit, ut ejus quasi possessionem, una cum capite nostro occuparemus. Ista quidem nondum apparent, [t]tamen tum demum hæc omnia proferentur in lucem, cum Christus, qui est lux mundi, in quo spes nostræ omnes atque opes positæ sunt atque defixæ, immortali gloria clarus, sese palam omnibus ostendet.

[s] Eph. iv. 8.

[t] Joan. viii. 12. Rom. viii. 24. 1 Cor. i. 30. Col. i. 5. et ii. 3. et iii. 4, 11. 1 Pet. i. 4.

M. Alterum illud commodum, quod ex Christi actionibus consequimur, cujusmodi tandem est?

A. Quod Christus se nobis [u]exemplar ad imitandum proposuit, ad quod vitam nostram omnem formemus. Christus si mortuus sit pro peccato, si sepultus, id semel perpessus est; si revixerit, si in cœlum ascenderit, semel tantum revixit, semel ascendit; jam non amplius moritur, sed vita sempiterna fruitur, et in summa atque perenni gloria regnat. Sic [x]si nos simus mortui, si sepulti peccato, quomodo posthac vivemus in eodem? Si excitati cum Christo simus, si per certam fidem atque spem firmam in cœlo cum eo versemur, in cœlestes res, divinas, æternas, non terrenas, mundanas, et caducas, curas omnes cogitationesque in posterum conferre debemus. Et quemadmodum [y]terrestris hominis hactenus gestavimus imaginem, cœlestis deinceps imaginem induamus; dolores et injurias omnes ejus exemplo placide et sedate ferentes, cæterasque illius virtutes Divinas, quoad mortales possunt, imitantes atque exprimentes. Et cum Christus Dominus nunquam desistat nobis benefacere, Patris misericordiam perpetuo nobis exposcere, et implorare, Spiritum suum sanctum nobis largiri, Ecclesiam suam amplissimis donis mirabiliter et assidue exornare; par est nos simili [z]ratione proximum omni studio juvare, et arctissimis amoris, concordiæ, atque summæ conjunctionis vinculis, quantum in nobis erit, cum omnibus hominibus astringi; atque ita nos totos in Christi, velut unici [a]exempli, mores formari.

[u] Joan. xiii. 15. 1 Pet. ii. 21. 1 Joan. ii. 6.

[x] Rom. vi. 2, 3. 10. Gal. ii. 19. Col. ii. 20 et iii. 1. 2 Tim. ii. 11.

[y] Rom. viii. 20. 1 Cor. xv. 47, 48, 49.

[z] Joan. xiii. 13, 14. et xv. 12. Eph. v. 2. Heb. xii. 14.

[a] Gal. ii. 20. 1 Pet. ii. 21. 1 Joan. ii. 6.

M. An non et nostri etiam erga Christum ipsum officii ex his admonemur?

A. Admonemur sane, ut voluntati [b]Christi, cujus toti sumus, quemque Dominum esse nostrum profitemur, obediamus et pareamus; ut Christum servatorem, qui eam nobis, suis adhuc hostibus, charitatem præstitit, ut ad ejus summum erga nos amorem nihil posset accedere, ita ex animo, ita toto vicissim pectore amemus, diligamus, amplectamur, ut Christum

[b] Rom. v. 8, 10. 2 Cor. v. 15. 1 Thess. v. 10.

nobismet ipsis chariorem habeamus; Christo, qui ita se totum nobis dedit, [c]nos ipsos totos, omniaque nostra invicem tradamus; opes, honores, gloriam, patriam, parentes, liberos, conjuges, chara, grata, jucundaque omnia præ Christo vilia, pericula omnia pro Christo levia habeamus, atque despiciamus; vitam denique animamque ipsam amittamus potius, quam Christum, nostrumque in illum amorem atque officium deseramus. Fortunata enim mors, quæ naturæ debita, pro Christo est potissimum reddita; pro Christo, inquam, qui sese pro nobis voluntariæ morti obtulit atque objecit; quique vitæ author, mortuos nos eripere morti, [d]ac vitæ restituere, et vult, et potest.

[c] Matt. x. 19, 37. et xvi. 25. Luc. ix. 23, 24. et xiv. 26.

[d] Marc. viii. 35.

M. Perge.

A. Admonemur præterea, ut Christum Dominum in cœlo jam regnantem, non terrestri [e]aliquo cultu, impiis traditionibus, et frigidis hominum inventis, sed cultu cœlesti et [f]revera spirituali, qualis et nos qui demus, et illum qui accipiat, deceat maxime, pure et caste veneremur; haud aliter atque ille et honoravit, et honorat Patrem; cum eadem opera et Patrem pari honore prosequamur. Qui enim honore [g]Christum afficit, honorat et Patrem; cujus rei ipse certissimus est, et locupletissimus testis.

[e] Matt. xv. 3, 6, 8, 9.

[f] Joan. iv. 23, 24.

[g] Joan. v. 23.

M. Jam de ultimo judicio, et mundi fine quid sentias, paucis audire cupio.

A. Veniet Christus in [h]nubibus cœli, cum summa gloria, et augustissima atque maxime verenda majestate, sanctorum Angelorum comitatu et frequentia stipatus atque circumfusus; et horribili tubæ sonitu, ac classico tremendo, mortui omnes, qui ab orbe condito ad eum usque diem vixerunt, animis atque corporibus integris excitabuntur; et pro [i]tribunali illius judicio sistentur; vitæ suæ rationem, quæ ab incorrupto atque severo judice ad veritatem revocabitur, pro se quisque, reddituri.

[h] Matt. xxiv. 29, 30. et xxv. 31. 1 Cor. xv. 52. 1 Thess. iv. 16.

[i] Rom. xiv. 10, 12. 1 Cor. iv. 4, 5. 2 Cor. v. 10.

M. Verum, cum in fine mundi judicii dies futurus sit, morsque omnibus sit definita atque constituta, quomodo in Symbolo quosdam tum vivos futuros dicis?

A. Divus Paulus docet eos, qui tunc erunt [l]superstites, subito immutandos atque innovandos esse, ita ut deleta corporum [m]corruptione, ac mortalitate abolita, immortalitatem induantur; atque hæc illis mutatio instar mortis erit, quum et corruptæ naturæ interitus, incorruptæ initium futurus sit.

[l] 1 Cor. xv. 51. 1 Thess. iv. 17.

[m] 1 Cor. xv. 42, 43, 53, 54. Phil. iii. 21.

M. An judicii hujus cogitatione pios percelli, atque horrore perfundi, illudque reformidare et refugere oporteat?

A. Minime; is enim sententiam ferret, qui pro nobis sententia Judicis damnatus est, ne nos grave Dei judicium subeuntes condemnemur, sed judicio absolvamur; is, inquam, judicium pronunciabit, in cujus nos fide atque clientela sumus, quique causæ nostræ patrocinium suscepit. Imo singulari quadam [n]consolatione conscientiæ nostræ sustentantur, et inter medias hujus vitæ miserias et ærumnas, gaudiis exultant, quod Christus semel futurus sit mundi judex; hac enim maxime spe nitimur, quod tum demum regnum illud immortalitatis et æternæ vitæ, hactenus tantum [o]inchoatum, quod Dei filiis ante jacta mundi fundamenta constitutum atque definitum fuit, omni ex parte plene et cumulate perfectum, immutabili æternitate possidebimus. [p]Impii vero, qui vel Dei justitiam atque iram non formidarunt, vel ejus per Christum clementia, misericordiaque non sunt confisi, quique pios, terra marique persequentes, omnibus injuriis affecerunt, summisque suppliciis et mortibus erudelissimis mactarunt, eum Satana atque Cacodæmonibus universis in destinatum ipsis inferorum carcerem, impietatis et scelerum vindicem, et tenebras perpetuas conjicientur; ubi scelerum suorum conscientia, et sempiterno igne, atque omni summoque supplicio excruciati, æternas pœnas dabunt, atque dependent. Nam quod a mortalibus in Dei immortalis immensam, infinitamque Majestatem peccatum est, infinito etiam perpetuoque supplicio dignum est.

[n] Rom. viii. 9, 23, 38, 39. 1 Cor. i. 7. Phil. iii. 20. Tit. ii. 13. 2 Pet. iii. 12.

[o] Matt. xxv. 34. 1 Cor. xiii. 9, 10. et xv. 42, 43, 53, 54.

[p] Matt. viii. 12. et xxii. 13. et xxv. 30, 41. Heb. x. 26, 27. Jud. 6, 7, 8. Apoc. xiv. 10, 11. et xix. 20. et xx. 10, 14. et xxi. 8.

M. Ultimo judicio mundi finis conjunctus est, de quo apertius adhuc explicare te velim.

A. Mundi finem hujusmodi futurum esse [q]Apostolus commemorat. Cœlum procellæ in morem transibit, elementa æstuantia solventur, terra et quæ in ea sunt universa, flamma conflagrabunt; quasi diceret fore aliquando, ut hic mundus ardore deflagrans, omni suo vitio per ignem (uti in auro fieri videmus) exocto, totus repurgetur, atque in absolutam summamque perfectionem renovetur, faciemque induat longe pulcherrimam, quæ sempiternis seculorum ætatibus non immutabitur. Hoc enim est quod Divus [r]Petrus ait: Cœlum novum, et terram novam, in quibus justitia inhabitabit, secundum promissionem Dei expectamus. Neque vero a fide abhorret, ut peccatum, ita et corruptionem [s]rerum, atque mutabilitatem, cæteraque ex peccato enata mala, aliquando tandem finem esse habitura. Atque hæc est summa secundæ

[q] Matt. xxiv. 29, 30, 32. 2 Pet. iii. 10, 11, &c.

[r] 2 Pet. iii. 13.

[s] Rom. viii. 19, 22, &c. 2 Pet. iii. 13. Apoc. xxi. 1.

partis Fidei Christianæ, qua tota redemptionis nostræ per Jesum Christum historia continetur.

M. Quum ergo de Deo Patre conditore, deque ejus Filio Jesu Christo servatore jam dixeris, id est, duas confessionis Christianæ partes absolveris; jam de tertia libet audire, quid de Spiritu Sancto credas.

Tertia pars Symboli. Spiritus sanctus.

A. Illum tertiam [t]personam sanctissimæ Trinitatis esse confiteor, a Patre et Filio ab æterno procedentem, utrique æqualem, atque ejusdem prorsus naturæ, unaque cum utroque adorandum atque invocandum.

[t] Matt. xxviii. 19. Joan. xiv. 26. et xv. 26. et xvi. 7. et xx. 22. Act. v. 3, 4.

M. Cur Sanctus appellatur?

A. Non tantum ob suam ipsius sanctitatem, quæ utique summa est, sed quod per eum electi Dei, et membra Christi sancta [u]efficiantur. Qua de causa Divinæ literæ illum Spiritum sanctificationis vocarunt.

[u] Rom. i. 4. et xv. 16. 2 Thess. ii. 13. Tit. iii. 5. 1 Pet. i. 2.

M. Quibus in rebus hanc sanctificationem constituis?

A. Primum quidem ejus instinctu afflatuque Divino [x]regeneramur; et idcirco dixit Christus oportere nos ex aqua et spiritu renasci. Cœlesti itidem ejus afflatu, Deus Pater nos sibi Filios [y]adoptat; unde non immerito Spiritus adoptionis est dictus. Illo interprete, [z]Divina nobis mysteria aperiuntur; ejus lumine, animorum nostrorum oculi, ad ea intelligenda illustrantur; ejus judicio, [a]vel condonantur, vel reservantur peccata; ejus vi, reprimitur et [b]domatur vitiosa caro, et cupiditates pravæ coercentur atque restringuntur; ejus arbitrio, multiplicia [c]dona in pios distribuuntur. Is in hujus vitæ multis variisque incommodis, molestiis, atque miseriis, ægritudinem luctumque piorum, qui fere sunt in hoc mundo gravissime afflicti, et quorum dolores omnem humanam consolationem vincunt, arcano solatio suo, et bona spe sedat, lenit, et consolatur; unde et [d]Paracleti, id est, consolatoris verum propriumque nomen sibi ascivit. Ejus denique virtute, corpora nostra mortalia [e]reviviscent; breviter, quæcunque nobis deferuntur in Christo beneficia, ea omnia Spiritus Sancti [f]opera intelligimus, sentimus, accipimus. In tantorum ergo donorum authore, non immerito fiduciam atque spem collocamus, eumque colimus, atque invocamus.

[x] Joan. iii. 5. Tit. iii. 5.

[y] Rom. viii. 15, 23. Gal. iv. 5, 6.

[z] Joan. xiv. 17, 26. et xvi. 13. 1 Cor. ii. 10, 11, 13. Eph. i. 17.

[a] Joan. xx. 22, 23.

[b] Rom. viii. 4, 5, &c. xiii. 14, &c. 26.

[c] Act. ii. 4. 1 Cor. xii. 4, 7, &c.

[d] Joan. xiv. 16, 26. et xv. 26. xvi. 7.

[e] Rom. viii. 11.

[f] 1 Cor. xii. 4, 7, &c.

Quarta pars Symboli. Ecclesia.

M. Superest jam quarta pars de Sancta Ecclesia Catholica, de qua quid sentias audire velim?

A. In pauca conferam, quæ Scripturæ sacræ fuse explicant et copiose. Antequam cœlum et terras fabricatus est

Dominus Deus, regnum quoddam sibi pulcherrimum, et rempub. sanctissimam habere decrevit; eam Apostoli, qui Græce scripserunt, [g]ἐκκλησίαν appellarunt, quæ, ut verbum verbo exprimam, congregatio dici non inepte potest. In hanc quasi civitatem suam adscripsit Deus infinitam [h]hominum multitudinem, qui omnes unico suo Regi Christo pareant, et dicto audientes sint atque obedientes, qui ipsius sese tutelæ commendarunt, et quorum ipse patrocinium suscepit, eosque perpetuo tuetur et conservat. Ad hanc Rempub. proprie pertinent, quotquot [i]vere timent, honorant, et invocant Deum, prorsus applicantes animos ad sancte pieque vivendum; quique fiduciam atque spem omnem in Deo constituentes, vitæ æternæ beatitudinem certissime expectant. Qui autem sunt in hac Fide firmi, stabiles, atque constantes, hi [k]electi atque designati, et (ut nos loquimur) prædestinati erant ad hanc tantam fœlicitatem, ante posita mundi fundamenta; cujus rei testem [l]ipsi intus in animis habent spiritum Christi, fiduciæ hujus authorem pariter et pignus certissimum. Cujus Divini Spiritus instinctu, mihi etiam certissime persuadeo, meipsum quoque beata hac civitate, Dei per Christum beneficio, gratuito donatum esse.

[g] Matt. xvi. 18.

[h] Matt. xxviii. 19. Act. ii. 5, 9. 1 Cor. xii. 13. Eph. v. 23, 24.

[i] Act. x. 34, 35. Rom. ii. 11. Gal. vi. 15, 16. Col. iii. 11, 12, &c.

[k] Matt. xvi. 18. Rom. viii. 29, 30. Eph. i. 4, 5. Col. iii. 12. Tit. i. 1.

[l] Rom. viii 9, 15, 16. 2 Cor. i. 22. et v. 5. Eph. i. 13, 14. et v. 30.

M. Pia sane et plane necessaria persuasio. Ecclesiæ ergo quam dicis, definitionem mihi cedo.

A. Brevissime verissimeque dixerim, Ecclesiam esse Corpus [m]Christi.

M. At paulo adhuc explicatius velim.

A. Ecclesia est [n]corpus Reipub. Christianæ, id est, universitas societasque fidelium omnium, quos Deus per Christum ad [o]vitam perpetuam ab æterno tempore destinavit.

[m] 1 Cor. xii. 27. Eph. i. 23. et v. 23. Col. i. 18, 24.

[n] Rom. xii 5. 1 Cor. xii. 12, &c. 20, 26. 2 Cor. i. 22. Eph. iii. 9.

[o] Matt. xxv. 34. Eph. i. 4, 5. 2 Thess. iii. 18.

M. Quorsum hoc caput in Symbolum inseritur?

A. Quia nisi Ecclesia esset, sine causa tum Christus fuisset mortuus, tum ea, quæ usque adhuc relata sunt, omnia frustra essent, atque ad nihilum reciderent.

M. Quid ita?

A. Quia hactenus salutis causas tractavimus, ejusque fundamenta contemplati sumus, quomodo videlicet, Christi merito nos amet Deus, charosque habeat; quomodo item, hanc Dei gratiam, in quam sumus restituti, Spiritus sancti opera retineamus. At horum hic unus effectus est, ut sit [p]Ecclesia, id est, cœtus piorum apud quos hæc Dei beneficia collocentur; ut sit Civitas et Respub. quædam beata, in qua nostra omnia

[p] Matt. xvi 18. Act. xx. 28. 1 Cor. xii. 12, &c. et xiv. 12. 2 Cor. xi. 28. Eph. iii. 10, 11, 21. et v. 25. 1 Tim. iii. 15.

ponere et quasi consecrare, et cui nos totos dedere debeamus, et pro qua mori non dubitemus.

M. Ecclesiam hanc cur Sanctam appellas?

[q] Rom. viii. 29. 1 Cor. xiv. 33. Eph. i. 4, 5, 11.

A. Ut hac notione ab impiorum [q]nefario cœtu discernatur. Quoscunque enim Deus elegit, in vitæ eos sanctitatem atque innocentiam restituit.

M. Estne hæc, quam Ecclesiæ tribuis, sanctimonia integra jam, atque omni ex parte perfecta?

A. Nondum. Quoad enim mortalem in hoc mundo vitam agimus, quæ est imbecillitas [r]fragilitasque humani generis, infirmis viribus sumus ad omnia omnino vitia declinanda. Est ergo Ecclesiæ sanctitas nondum quidem expleta et perfecte absoluta, præclare inchoata tamen. Verum quum Christo, a quo illi omnis accedit [s]mundities, atque puritas, plene conjuncta fuerit, tum demum innocentiam et sanctitatem omnibus suis partibus expletam, et perfecte absolutam, ut vestem quandam niveam purissimamque, induetur.

[r] Rom. viii. 26. 1 Cor. xiii. 9, 11, 12. 2 Cor. xii. 5, 9.

[s] 1 Cor. xiii. 10. et xv. 53. Eph. v. 26. Apoc. xix. 8. et xxi. 2, 10, &c. 27.

M. Quorsum tandem Ecclesiam hanc Catholicam nominas?

A. Perinde est, ac si universalem dicerem; non est enim hic cœtus conciliumque piorum, certo quopiam uno loco, aut tempore astrictum; [t]sed fidelium, qui ab orbe condito, omnibus locis, atque sæculis vixerunt, victurique sunt, universitatem continet atque complectitur; ut unum sit Ecclesiæ corpus, [u]sicuti unus est Christus, unicum corporis caput. Cum enim Judæi Ecclesiam Dei, ut populo suo peculiarem, et quasi gentilitiam sibi assumerent, et vendicarent, et suam tantum esse confirmarent; Christiana fides profitetur [x]ingentem piorum hominum numerum multitudinemque infinitam, ex omnibus terrarum orbis regionibus, ex omnibus omnium ubique gentium partibus, ætatibusque sæculorum, sacri verbi, vocisque suæ vi et potestate, atque cœlestis Spiritus divino instinctu collectam, in hanc Ecclesiam, quasi civitatem suam, a Deo ascriptam esse; qui omnes una [y]vera Fide, una mente, voceque consentientes, unico suo regi Christo, ut membra [z]capiti, per omnia pareant.

[t] Matt. xxviii. 19. Act. ii. 5, 9. et x. 34, 35. 1 Cor. xii. 13, 14.

[u] Matt. viii. 11. Eph. ii. 13, 14, &c. et iv. 4, 5, &c.

[x] Act. i. 8. et ii. 5, 8, 9. et x. 35. Col. iii. 11, &c.

[y] Eph. iv. 4, 5. et v. 23.
[z] 1 Cor. vi. 15. Eph. iv. 15, 16. et v. 30. Col. i. 18.

M. An ergo recte quosdam huic Christianæ Fidei parti adjungere existimas, se credere sanctam Catholicam Romanam Ecclesiam?

A. Eos non solum alienum huic loco sensum affingere arbitror, dum nullum in Ecclesia Christi nisi qui Romani pon-

tificis decreta edictaque omnia sacrosancta habeat, censeri velint; verum etiam, dum universitatem Ecclesiæ, quam ipsi ubique terrarum et gentium longe lateque diffusam esse primum confitentur, postea nomine unius gentis apposito, contrahunt, et in angustum adducunt, haud paulo amplius, quam Judæos insanire judico; ut qui contraria, et inter se pugnantia uno spiritu volvant, et pronuncient. Verum ad hanc eos insaniam adegit cœca cupiditas, studiumque Romanum Pontificem Ecclesiæ in terris caput in locum Christi supponendi atque substituendi.

M. Jam id ex te audire velim, cur Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ statim adjungas, nos CREDERE SANCTORUM COMMUNIONEM?

A. Quia hæc duo eodem pertinent, et sunt inter se apta admodum atque convenientia. Hæc enim pars eam, quæ est inter Ecclesiæ membra, conjunctionem societatemque, qua nulla propior esse potest, clarius adhuc exprimit. Nam quum Deus per universas terrarum regiones atque oras, ut et per omnes ætates atque sæcula, habeat, qui se pure casteque venerentur; hi [a]omnes, licet diversis, et longinquis temporibus, atque locis separati sint atque distracti, ubicunque gentium, ubicunque terrarum fuerint, unius tamen sunt ejusdemque corporis, cujus caput Christus est, membra inter se quam maxime connexa atque cohærentia. Ea est piis hominibus et cum Deo, et inter se communitas. Spiritus [b]enim, Fidei, Sacramentorum, precum, remissionis peccatorum, et æternæ fœlicitatis, omniumque adeo beneficiorum, quæ Deus Ecclesiæ per Christum largitur, communitate sunt inter se conjunctissimi. Quin et concordiæ, [c]atque amoris inter se vinculis arctissimis ita sunt astricti, ita unum est omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque et universorum; et in id maxime studium incumbant, quomodo beneficiis ultro citroque datis, atque acceptis, sese mutuo eum ad alia omnia, tum præcipue ad beatam illam æternamque vitam, consilio atque auxilio juvent. Verum quia hæc sanctorum communio neque sensibus nostris, neque [d]naturali atque insita in nobis notione, aut intelligentiæ vi aliqua, ut aliæ civiles communitates, societatesque hominum, percipiatur; merito inter ea, quæ creduntur, hoc loco posita est.

[a] 1 Cor. xii. 12, 13, &c. 20, 26. Eph. iv. 15, 16. et v. 30. Col. i. 18. et ii. 19.

[b] Eph. iv. 3, 4, 5, &c. 15, 16. Col. ii. 19.

[c] Matt. vii. 12. et xix. 14. et xxii. 39. Rom. xii. 5. 1 Cor. x. 24. et xiii. 5. 2 Cor. xi. 28. Gal. vi. 2. Phil. ii. 1, 2, 3, 4, 5.

[d] 1 Cor. ii. 14, 15.

M. Brevis hæc tractatio de Ecclesia, collocatisque apud eam Dei per Christum beneficiis, vehementer mihi placet;

eadem enim clarissime in Sacris Scripturis docentur. Verum potestne Ecclesia aliter cognosci, quam quum Fide creditur?

A. Hic quidem in Symbolo proprie agitur de eorum congregatione, quos Deus arcana [e]electione per Christum sibi adoptavit; quæ Ecclesia nec oculis cerni, neque ex signis cognosci perpetuo potest. Est tamen et visibilis seu spectabilis Dei Ecclesia, cujus nobis indicia notasque ostendit atque patefacit.

[e] Rom. viii. 29, 30, 33. Eph. i. 4. 5, 11. Col. iii. 12.

M. Quo ergo tota hæc Ecclesiæ tractatio clarior fiat, visibilem illam Ecclesiam, ita mihi suis notis signisque describe, et quasi depinge, ut ab alia quavis hominum societate discernatur.

Ecclesiæ visibilis descriptio.

A. Experiar quomodo quam optime id possim præstare. Visibilis Ecclesia non est aliud, quam certa quædam multitudo hominum, qui in quocunque loco sint, puram et sinceram [f]profitentur doctrinam Christi; illam ipsam videlicet, quam Evangelistæ atque Apostoli Sacrarum literarum sempiternis monumentis fideliter memoriæ prodiderunt: quique Deum Patrem [g]Christi nomine vere invocant; utuntur præterea ejus mysteriis, quæ usitato nobis vocabulo [h]Sacramenta appellantur, eadem puritate, et simplicitate (quod ad ipsorum naturam attinet) qua usi sunt, et literis consignarunt Apostoli Christi.

[f] Esai. lv. 11. Matt. x. 14. et xxviii. 19. Luc. xxiv. 47. Rom x. 8, 9. 2 Tim. i. 10.

[g] Joan. xiv. 13. et xv. 16. et xvi. 23.
[h] Matt. xxviii. 19. 1 Cor. xi. 28.

M. Visibilis ergo Ecclesiæ notas esse dicis Evangelii, id est beneficiorum Christi, prædicationem, invocationem, et Sacramentorum administrationem sinceram.

A. Sunt hæ quidem Ecclesiæ visibilis notæ præcipuæ et plane necessariæ; ut sine quibus ne Ecclesia quidem Christi esse, dicive recte possit. Sed et in eadem Ecclesia, si probe instituta fuerit, certus gubernationis [i]ordo et modus, disciplinæque Ecclesiasticæ ea ratio observabitur, ne impune liceat cuiquam, qui in illo grege versatur, publice quicquam impie, flagitioseve vel dicere, vel facere; adeoque ut omnes prorsus offensiones, in illa hominum congregatione, quoad ejus fieri potest, omnino vitentur. Verum labente paulatim jam olim hac disciplina, ut sunt hodie corrupti, depravatique omnium mores, maxime vero divitum atque potentum, qui peccatorum, adeoque scelerum omnium impunitatem, atque summam licentiam habere volunt, censoria animadversio, et castigatio teneri in Ecclesiis vix jam potest. In quocunque cœtu tamen verbum Dei, ejusque invocatio, et Sacramenta pure et sincere retinentur, non est dubium, quin ibi etiam sit Ecclesia Christi.

[i] Matt. xviii. 15, 16, 17. 1 Cor. iv. 21. et x. 31, 32. et xiv. 26, 40. Phil. ii. 14, 15. 1 Thess. v. 14, 22. et 2 Thess. iii. 14, 15. Col. ii. 5. 1 Tim. ii. 8, 9, &c. et iii. 1, 2. Tit. ii. 2, 3, 4, &c. et iii. 10.

M. An non omnes ergo in hac visibili Ecclesia sunt ex electorum ad vitam æternam numero?

A. Multi per hypocrisin, et simulationem pietatis, in hanc se societatem adjungunt, qui nihil minus quam vera Ecclesiæ membra sunt. Verum, quia ubicunque verbum Dei sincere docetur, et Sacramenta rite administrantur, ibi perpetuo sunt aliqui ad [k]salutem per Christum designati, totum illum cœtum Ecclesiam esse Dei censemus; quum et Christus sese, vel duobus [l]aut tribus, qui suo nomine congregati fuerint, adfuturum polliceatur.

[k] Esai. lv. 11. Act. xiii. 48.

[l] Matt. xviii. 20.

M. Cur Ecclesiæ Remissionem peccatorum subjungis?

A. Primum, quia [m]claves, quibus cœlum et claudendum est, et reserandum, id est, potestas illa ligandi et solvendi, reservandi atque remittendi peccata, quæ in verbi Divini ministerio sita est, Ecclesiæ per Christum delata, atque permissa, ad eam proprie pertinet; deinde quia nemo remissionem peccatorum consequitur, qui non sit verum corporis [n]Christi membrum; id est, qui communem Ecclesiæ consociationem studiose, pie, sancteque, perseveranter etiam, [o]atque ad ultimum non colat, et tueatur.

[m] Matt. xvi. 19. et xviii. 18. Luc. xxiv. 47. Joan. xx. 23.

[n] Joan. xv. 4. Col. ii. 19.

[o] Matt. xxiv. 13.

M. Nullane ergo salutis spes extra Ecclesiam?

A. Extra eam nihil nisi damnatio, exitium, atque interitus esse potest. Quæ enim potest [p]membris a capite corporeque avulsis, abscissisve, vitæ spes superesse? Qui ergo discordiam [q]in Ecclesia Dei seditiose concitant, dissidiumque, et dissentionem in ea faciunt, factionibusque eam perturbant, iis donec in concordiam atque gratiam cum Ecclesia redeant et revertantur, spes omnis salutis per peccatorum remissionem præciditur.

[p] Joan. xv. 4, 6. Col. ii. 19. 1 Tim. iii. 15.

[q] Rom. ii. 8, 9. 1 Cor. i. 11. et iii. 3. 1 Tim. i. 4, 6. 2 Tim. ii. 16, 23. Tit. iii. 9, 10, 11.

M. Remissionis nomine quid significas?

A. Liberationem culpæ, erratique veniam fideles a Deo impetrare. Deum enim gratuito [r]propter Christum peccata ipsis condonare, eosque judicio et damnatione, justisque, et sceleri debitis suppliciis eripere et liberare.

[r] Psal. xxxii 1, 2. Act. xiii. 38. et xxvi. 18. Rom. iii. 24. Eph. i. 7. Col. i. 13, 14.

M. An non ergo piis officiis atque operibus Deo satisfacere, et peccatorum veniam ipsi mereri possumus?

A. Nulla meritis nostris debetur misericordia; sed Deus animadversionem suam et supplicium, quo in nos usurus erat, Christo remittit et condonat. Solus enim Christus perpessione dolorum, [s]et morte sua, qua pœnam scelerum nostrorum dependit atque persolvit, Deo satisfecit; per solum ergo Chris-

[s] Esai. liii. 4, 5, 8, 12. Rom. v. 8, 10. Col. i. 20, 21. 2 Tim. i. 10. Heb. ix. 14, 15.

tum receptum ad Dei gratiam habemus. Nos ex gratuita [t]ejus liberalitate atque benignitate beneficium hoc accipientes, nihil habemus, quod præmii aut compensationis nomine, ipsi vicissim offeramus aut reddamus.

[t] Rom. iii. 24, 25, 27, 28. Gal. ii. 16.

M. Nihilne omnino pro nostra parte faciendum, ut veniam peccatorum impetremus?

A. Tametsi inter homines concesso peccato, difficile est ab eo, qui peccatorum vindex esse debet, ut ignoscat impetrare; confessionem tamen erranti medicinam quandam esse, ne a pietate quidem nostra [u]alieni ignorarunt. Et Pœnitentia, quam Resipiscentiam quidam malunt appellare, atque consilii mutatione peccatoribus opus esse ad veniam impetrandam, jam ante dictum est; et peccatoribus se veniam daturum, Dominus promittit, si eos pœniteat, [x]si resipiscant, animosque a vitæ pravitate ad ipsum convertant.

[u] Cic.

[x] Jer. xviii. 8. Ezec. xviii. 21, 30, 31, 32. et xxxiii. 14. Matt. iv. 17. Luc. v. 32.

M. Quot sunt Pœnitentiæ partes?

A. Duæ præcipuæ. Veteris hominis, sive carnis mortificatio; et Novi hominis, sive Spiritus vivificatio.

M. Apertius ista planiusque explicari velim.

A. Veteris hominis mortificatio, est agnitio, [y]confessioque peccati ingenua atque sincera, tum animi pudor atque dolor, cujus sensu, quod a justitia aberrarit, et Dei voluntati minus obsequens fuerit, graviter afficitur. Debet enim unusquisque anteactæ vitæ peccata recordans, sibi totus [z]displicere, sibi succensere, acrem se vitiorum suorum judicem præbere, et ipse de se sententiam ferre, et judicium pronuntiare, ne irati Dei grave judicium subeat. Hunc dolorem quidam Contritionem appellarunt, cui peccati odium acre, amissæque justitiæ amor et desiderium, propinquitate atque natura conjuncta sunt.

[y] Psal. xxxii. 4, 5. li. 3, 4. Prov. xxviii. 13. 1 Joan. i. 8, 9.

[z] Psal. vi. 6, 7. xxxi. 9, 10. et xxxviii. 3, 4, 6, 8, 9, 10, 17, 18. et li. 17. et cii. 4, 5. 1 Cor. xi. 31. 2 Cor. vii. 9, 10, 11.

M. At tanta esse potest scelerum conscientia, et pœnitendi vis, ut circumfuso undique pavore, hominis animum salutis desperatio occupet.

A. Verum [a]id quidem est, nisi doloris magnitudini consolationem Deus adhibeat. Sed piis superest adhuc altera illa pars resipiscentiæ, quæ [b]Spiritus renovatio sive novi hominis vivificatio dicitur. Ea est, cum Fides accedens animum ita affectum [c]recreat sublevatque, dolorem levat, et consolatur, a desperatione ad spem veniæ, a Deo per Christum impetrandæ, et a limine mortis, atque ab inferis adeo ipsis, ad vitam revocat, atque erigit. Atque hoc est, quod REMISSIONEM PECCATORUM nos credere profitemur.

[a] Gen. iv. 13. Matt. xxvii. 3, 4. 2 Cor. ii. 7, 8.

[b] Eph. iv. 23, 24. 1 Pet. iv. 6.

[c] Matt. iv. 17. Luc. vii. 38, 47, 48, 50. et xv. 18, 21. xviii. 13. et xxiv. 47. Act. ii. 37. iii. 19. et xvi. 30, 32. 1 Tim. i. 15.

M. An homo hoc metu, atque his difficultatibus, suis se viribus liberare potest?

A. Nihil minus. Solus enim Deus est, [d]qui diffidentem rebus suis confirmat, afflictam erigit, perditum recreat, et quo duce hanc quam dixi spem, mentem, voluntatemque peccator suscipit.

[d] Matt. xviii. 12. Luc. xv. 22. 2 Cor. i. 3, 4. 2 Thess. ii. 16, 17.

M. Jam quod superest in Symbolo, recita.

A. CREDO RESURRECTIONEM CARNIS, [e]ET VITAM ÆTERNAM.

[e] Matt. xxii. 31, 32. Joan. xi. 25. 1 Cor. xv. toto.

M. De his, quoniam in explicando ultimo judicio antea nonnihil attigisti, pauca tantum a te percontabor. Quorsum tandem, aut cur ista credimus?

A. Tametsi animos hominum immortales, sempiternosque esse credamus, tamen si corpora nostra interitu omnino delenda fore putaremus, [f]concideremus prorsus, ut qui solido gaudio et ævo sempiterno integri, altera nostri parte desiderata, nunquam frueremur. Non animas ergo solum nostras, quum ex hac vita migramus, admistione corporum liberatas, puras et integras statim [g]in cœlum ad Christum evolare, certo credimus, verum etiam corpora nostra [h]in meliorem vitæ statum restituta, suis tandem animis rursum conjungenda, totosque nos perfecte atque absolute beatos efficiendos; hoc est, tam corporibus, quam animis nostris, æternitate, immortalitate, vitaque longe beatissima, quæ perpetuis sæculorum ætatibus non immutabitur, fruituros esse, nihil profecto dubitamus. Hæc spes nos in miseriis [i]consolatur, hac spe præditi, non solum incommoda et difficultates, quibus in hac vita afficimur, sed vitæ commutationem, ac mortis dolores toleranter patimur et sustinemus. Mortem enim, non interitum omnia tollentem, atque delentem, sed ducem nobis in cœlum esse, quæ nos in viam placatæ, tranquillæ, beatæ, sempiternæ vitæ deducat, persuasissimum habemus. Et proinde ex corporum vinculis tanquam ex carcere, ad [k]cœlum quasi communem urbem et civitatem Dei atque hominum, alacres lætique excurrimus atque evolamus.

[f] 1 Cor. xv. 14, 17, 18, 19.

[g] Luc. xvi. 22. et xxiii. 43.

[h] Rom. viii. 11. 1 Cor. xv. 42, 43, 44, 53, 54. Phil. iii. 21. 1 Thess. iv. 13, 14, 15, 16, 17.

[i] Joan. xi. 25. 1 Cor. xv. 58. 1 Thess. iv. 13, 14, 18. Apoc. xiii. 18.

[k] 2 Cor. v. 1, 2. Eph. ii. 19.

M. Ecquid præterea conducit ista credidisse?

A. Admonemur ne rebus incertis, fluxis, et caducis nos impediamus, aut implicemus; ne ad terrenam gloriam aut fœlicitatem spectemus; sed mundum hunc [l]ut inquilini, et de migratione perpetuo cogitantes, incolamus; ad cœlum et cœlestia aspiremus; ubi beati ævo sempiterno fruemur.

[l] Heb. xiii. 13, 14. 1 Pet. ii. 11.

M. Cum impios conditione a piis longissime [m]diversa, ad miseriam æternam videlicet, sempiternamque mortem resuscitandos esse antea docueris, cur Symbolum vitæ duntaxat æternæ, inferorum vero mentionem nullam facit?

A. Fidei hæc est Christianæ confessio, quæ non nisi ad pios pertinet; et proinde ea tantum recenset, quæ sunt ad consolandum [n]accommodata, amplissima nimirum præmia, quibus suos Deus donabit. Impios ergo a regno Dei alienos quæ maneant supplicia, non commemoratur.

M. Explicato jam Symbolo, id est, summa Fidei Christianæ, dic mihi quid commodi ex hac Fide comparamus?

A. Justitiam [o]coram Deo, per quam hæredes vitæ æternæ instituimur.

M. An non ergo pietas erga Deum nostra, ac vita inter homines honeste sancteque acta justos coram Deo nos efficit?

A. De hoc quædam superius post explicatam Legem, et alibi etiam, in hanc fere sententiam diximus. Si quisquam ad præscriptam normam [p]juris divini integre vivere posset, is merito justus ex operibus bonis censeretur; verum cum ab ea vitæ perfectione longissime absimus [q]omnes, adeoque peccatorum nostrorum conscientia opprimamur; [r]alia nobis ineunda ratio, et via reperienda est, qua nos Deus in gratiam recipiat, quam nostro merito.

M. Quæ tandem quæso?

A. Ad Dei [s]misericordiam confugiendum est, qua gratis nos in Christo, nullo nostro merito, nec operum respectu, amore, et benevolentia complectitur; tum peccata nobis nostra condonans, tum justitia Christi per Fidem in ipsum ita nos donans, ut ob eam, perinde ac si nostra esset, ipsi accepti simus. Divinæ ergo per Christum clementiæ, justitiam nostram omnem acceptam ferre debemus.

M. Unde ista ita esse intelligimus?

A. Ex Evangelio, quod Dei per Christum promissiones continet, [t]quibus dum Fidem, id est, certam animi persuasionem, et stabilem benevolentiæ Divinæ fiduciam, qualis jam per totum Symbolum est descripta, adjungimus, in hujus, quam dico justitiæ possessionem, pedem quodammodo ponimus.

M. Non ergo inter hujus justitiæ causas Fidem principem locum tenere dicis, ut ejus merito nos ex nobis justi coram Deo habeamur?

[m] Matt. xxv. 34, 41, 46.

[n] Marc. xvi. 16. Luc. xxiv. 47. Joan. iii. 15, 16. Rom. iv. 16.

[o] Rom. iii. 21, 22. Gal. ii. 16.

[p] Rom. x. 5. Gal. iii. 12.

[q] Gen. vi. 5, 11. Luc. xviii. 11, 12, 14. Rom. vii. 14, 15. Gal. ii. 16.

[r] Rom. xi. 6.

[s] Rom. iii. 24. et iv. 4, 7, 16. Eph. ii. 4, 5. 2 Tim. i. 9. Tit. iii. 4, 5. 1 Pet. i. 3. et ii. 10.

[t] Rom. iv. 8. et v. 14, 16, 20, 21. Gal. ii. 16, 20. et iii. 11. Heb. x. 38.

A. Nequaquam; id enim esset Fidem in Christi locum substituere. Verum hujus justitiæ fons [x]est Dei misericordia, quæ in nos per Christum derivatur; per Evangelium vero nobis offertur, [y]et a nobis Fide, quasi manu prehenditur.

[x] Eph. i. 4. 5, 6, &c. Tit. iii. 4, 5, 6.

[y] Marc. i. 15. Rom. iv. 6, 19, 20, 21, 24.

M. Fidem igitur non causam, sed instrumentum esse justitiæ dicis, quod scilicet Christum, [z]qui est justitia nostra, amplectitur, tam arcta nos conjunctione cum illo copulans, ut omnium ejus bonorum participes faciat.

[z] Joan. i. 12. Rom. iii. 22. 1 Cor. i. 30. Heb. ix. 14.

A. Sic est.

M. Verum an a bonis operibus ita separari hæc justitia potest, ut qui hanc habet, illis careat?

A. Nequaquam; Fide enim Christum, qualem se nobis offert, accipimus; ipse vero non modo a peccatis et morte nos liberat, et cum Deo in gratiam reducit, sed et Spiritus [a]sancti divino afflatu et virtute, ad studium innocentiæ atque sanctitatis, quam vitæ [b]novitatem appellamus, regenerat, atque reformat.

[a] Rom. viii. 1, &c. 9, 10, 12, 14.

[b] Rom. vi. 4.

M. [c]Justitiam ergo, Fidem, ac bona opera, natura cohærentia esse dicis, quæ proinde non magis distrahi debeant, quam Christus illorum in nobis author, a seipso divelli possit?

[c] Rom. v. 1, 2. 1 Cor. xiii. 2. Eph. iii. 17. Jacob. ii 20. 1 Pet. i. 19, 20, 21, 22.

A. Omnino.

M. Hæc igitur Fidei doctrina, hominum voluntates ab operibus officiisque piis nequaquam alienat?

A. Nihil minus. Nam opera bona Fide, [d]ut radice sua nituntur; tantum ergo abest, ut a vita integre agenda animos nostros Fides retardet, ut contra ad ejus studium maxime incitet; adeoque vere fidelis non sit, qui non et vitia pro virili [e]declinet, et virtutes studiose amplexetur; ita semper vivens, ut rationem sibi reddendam arbitretur.

[d] Psal. i. 3. Rom. xi. 16. Eph. iii. 17. Co. ii. 6, 7. Tit. iii. 8.

[e] Rom. vi. 1, 2, 3, 4.

M. Ergo explicate mihi, quomodo opera nostra Deo accepta sint, et quibus donentur præmiis edissere?

A. [f]In operibus bonis duo præcipue requiruntur. Primum, ut ea opera, [g]quæ Lege Divina præscripta sunt, deinde ut ea mente atque [h]Fide, quam Deus exigit, a nobis suscipiantur. Nullæ enim vel actiones, vel cogitationes sine Fide susceptæ, Deo placere possunt.

[f] Deut. iv. 1, 2. et xii. 32.

[g] Marc. vii. 6, 7, 8, 9. et x. 17, 19. Joan. xv. 10.

[h] Rom. ix. 31, 32. et xiv. 23. Heb. xi. 6.

M. Perge.

A. Constat ergo omnia opera quæcunque facimus antequam renati [i]sumus, Deique Spiritu renovati, quæ proprie nostra dici possunt, vitiosa esse. Qualemcunque enim speciem splendoris et dignitatis præ se ferant, præbeantque oculis ho-

[i] Joan. iii. 3, 4, 5, 6. Rom. ix. 31, 32. Eph. ii. 3. 1 Pet. i. 22, 23.

minum; quum e pravo corruptoque [k]corde, quod Deus maxime spectat, manent et proficiscantur, non nisi inquinata contaminataque esse, et Deum proinde graviter offendere possunt. Hujusmodi igitur opera ut malos fructus, [l]ex arbore mala editos, aspernatur Deus, atque a se rejicit.

M. Nullis ergo operibus, aut meritis Deum antevertere possumus, quibus illum ad benevolentiam, beneficentiamque priores provoeemus?

A. Nullis plane. Nam nos Deus non solum quum inimici ejus essemus, [m]id est, peccatores, sed et ante mundi jacta fundamenta in Christo dilexit, atque elegit. Et hic est ille, quem dixi, justitiæ nostræ fons atque origo.

M. De illis vero operibus, quæ jam in gratiam apud Deum positi, Spiritusque sacri instinctu facimus, quid censes?

A. Debita pietatis officia, quæ ex Fide, [n]per charitatem operante proficiscuntur, Deo quidem grata sunt, non tamen ipsorum merito, [o]sed quod ille suo favore ea liberaliter dignetur. Nam tametsi a Divino afflatu, ut a fonte rivuli deducantur, ex [p]carnis tamen nostræ, quæ sese in agendo admiscet, quasi contagione vitium concipiunt; haud secus, ac rivus alioqui purus et limpidus, cœno, limoque, per quod fluit, turbatur atque inficitur.

M. Quomodo ergo ea Deo placere affirmas?

A. Fides [q]est, quæ Dei gratiam operibus nostris conciliat, dum pro certo habet, eum summo nobiscum [r]jure acturum non esse, neque facta nostra quasi ad calculos vocaturum, aut exacturum ad perpendiculum; id est, in illis æstimandis expendendisque non adhibiturum severitatem; sed omni eorum vitiositate Christo ejusque meritis remissa atque condonata, pro perfecte absolutis esse habiturum.

M. Persistis ergo in eo, non posse nos operum merito consequi, ut justi coram Deo habeamur, quum actiones humanas vel perfectissimas venia indigere existimes.

A. Deus ipse in verbo suo ita statuit; ejusque sacer Spiritus nos instituit, ut precemur, ne [s]in judicium nos adducat. Nam quum justitia Deo judici probanda, perfecte [t]absoluta atque expleta omnibus suis partibus et numeris esse debeat, ut quæ ad acerrimam Divinæ legis judiciique normam, et quasi ad perpendiculum dirigenda simul atque exigenda sit; opera vero nostra vel [u]optima, quum a Divini juris justitiæque regula, [x]atque præscripto longissime aberrent,

[k] Rom. viii. 5, 6, 7. 1 Cor. i. 19, 20. et iii. 19. 2 Cor. i. 12.
[l] Matt. vii. 18, 19. et xii. 33, 35.
[m] Rom. v. 8, 10. et xi. 35. 1 Joan. iv. 9, 10, 19. Eph. i. 4.
[n] Rom. xii. 1. Gal. v. 6.
[o] Luc. xvii. 10. et xviii. 11, 12, 14.
[p] Esai. lxiv. 6 Rom. vii. 14, 15, 17. Gal. v. 17.
[q] Rom. ix. 31, 32. Gal. v. 6. Heb. xi. 6.
[r] Psal. cxxx. 3. et cxliii. 2.
[s] Luc. xviii. 11, 12, 14. Rom. iv. 2. Gal. ii. 16.
[t] Rom. iii. 20.
[u] Psal. cxliii. 2.
[x] Job. iv. 18. et xv. 14, 15, 16. et xxv. 4, 5. Psal. cxxx. 3.

[y]atque absint, multisque modis et culpanda sint et damnanda, operibus justificari coram Deo nulla omnino ratione possumus. [y] Job. xv. 14, 15, 16. et xxv. 6. Esai. lxiv. 6. 1 Cor. vi. 4.

M. Annon hæc doctrina hominum animos ab officiis pietatis abducit, et ad bona opera segniores atque tardiores efficit, aut minus certe alacres promptosque ad pia studia reddit?

A. Nequaquam; neque enim proinde inutilia esse, et frustra, aut sine causa fieri bona opera dicemus, quod justitiam per illa non consequamur. Nam et in proximi commodum, [z]et in Dei gloriam cedunt; et de Divina erga nos benevolentia, nostraque vicissim in Deum charitate et fide, atque ita de salute nos nostra, quasi testimoniis quibusdam [a]certiores faciunt. Et æquum omnino est, ut Christi Filii Dei sanguine redempti, et innumeris præterea atque immensis Divinis beneficiis affecti, ad redemptoris [b]arbitrium atque nutum viventes, et nos totos accommodantes, memores nos, gratosque erga salutis nostræ authorem præbeamus, aliosque illi [c]exemplo nostro acquiramus atque lucrifaciamus. Ista recogitans aliquis, piis suis studiis operibusque satis lætari potest.

[z] Matt. v. 16. 1 Pet. ii. 12.

[a] Matt. xii. 33. Phil. ii. 12. 1 Pet. i. 10.

[b] Rom. xiv. 7, 8. 1 Cor. vi. 19. 2 Cor. v. 15. 1 Thess. v. 10.

[c] Matt. v. 16. 1 Pet. ii. 12.

M. At præmiis tamen tum in hac vita, tum in futura nos ad bene agendum invitat Deus, et quasi mercede quadam nobiscum paciscitur.

A. [d]Merces illa non pro dignitate, ut dixi, operibus tribuitur, et illis quasi gratia pro meritis refertur, sed Dei benignitate gratis præter meritum, in nos confertur. Justitiam vero Deus nobis pro sua in nos charitate, et liberalitate per [e]Christum dono dat. Dei donum liberalitatemque quum dico, [f]gratuitam, et sine mercede, aut merito nostro benignam intelligo; ut sit mera sinceraque Dei liberalitas, quam ad nostram modo, quos diligit, quique illi fidimus, salutem referat, non conducta, aut mercenaria, quasi quædam commodorum utilitatumque suarum mercatura, quam ad fructum aliquem suum exerceat, aliquod vicissim præmium, aut pretium a nobis repetens; qua sola vel cogitatione Dei benignitas, simul et majestas minueretur.

[d] Matt. v. 12. et x. 41, 42. et xxv. 34, 35. Eph. iii. 20. 2 Tim. i. 9.

[e] Rom. iii. 24. 1 Cor. i. 1.

[f] Rom. iii. 24. et xi. 6. Gal. v. 4. 2 Tim. i. 9. Tit. iii. 4, 5. Apoc. xxi. 6.

M. Quum ergo Deus, et justitiam nobis per Fidem tribuat, et opera nostra per eandem grata acceptaque habeat; dic mihi, Fidem hanc, naturæne dotem, an Dei donum esse putas?

A. Donum [g]Divinum, et quidem singulare, atque eximium,

[g] Marc. ix. 23, 24. Joan. ix. 39. 1 Pet. i. 20, 21.

Fides est. Nam hebetiora [h] tardioraque sunt ingenia nostra, quam ut Dei sapientiam, cujus fontes Fide aperiuntur, concipere, et animo comprehendere possint; et corda nostra, vel ad [i] diffidentiam, vel ad pravam perversamque in nobis, vel aliis creaturis confidentiam, quam ad veram in Deo fiduciam, sunt propensiora. Verum Deus verbo suo nos instruens, simulque [k] mentes nostras Spiritu suo sancto illustrans, ad ea, quæ alioqui obtusam ingeniorum nostrorum aciem longe fugerent, dociles nos reddit, et salutis promissiones in animis nostris consignans, nos ita format, ut de illarum fide nobis sit persuasissimum. Hæc intelligentes Apostoli, Dominum orant, ut [l] Fidem ipsorum augeat.

[h] Matt. xvi. 7. 8. 9. 11. Luc. xviii. 34. Rom. viii. 6, 7. 1 Cor. ii. 14.

[i] Matt. vi. 30. et viii 26. et xvi. 8. et xiv. 31.

[k] Matt. xvi. 17. Luc. xxiv. 45. Col. i. 9. 2 Tim. ii. 7.

[l] Luc. xvii. 5.

Tertia pars de Oratione, et gratiarum actione.

M. Opportune de oratione mentionem fecisti. Absoluta enim juris Divini, et Symboli, id est, confessionis Christianæ explicatione, proximum est ut de precatione, et quæ illi finitima est, gratiarum actione, jam dicamus; est enim horum cum superioribus implicita, et apte cohærens ratio.

A. Aptissime profecto; ut quæ ad priorem legis Divinæ tabulam referuntur, officiaque [m] pietatis in Deum præcipua complectuntur.

M. In explicanda oratione, quem ordinem sequemur?

A. Hunc, si ita tibi videbitur, Præceptor, ut primo loco, quis sit orandus; secundo, qua fiducia; tertio, qua animi affectione; quarto, quid orandum sit explicemus.

M. Primum igitur dic mihi quem invocandum esse censeas?

A. Nullum profecto, nisi Deum solum.

M. Quid ita?

A. Quia in Dei unius manu, [n] vita salusque nostra posita est, in cujus potestate sita sunt omnia; quum ergo omne quod bonum est, quodque hominem Christianum optare et expetere oporteat, Deus nobis largiatur; quumque is solus in quovis [o] discrimine opem atque auxilium ferre, periculaque omnia depellere possit, ab eo rem omnem petere, atque ad ipsum solum in quavis difficultate confugere, et ipsius opem implorare nos convenit. Hoc enim ipse in [p] verbo suo tanquam peculiarem, propriumque numinis sui cultum exigit, atque deposcit.

[m] Psal. l. 15, 23. Act ix. 21. Rom. x. 12. et xv. 6. 2 Cor. i. 2. 4. 2 Tim. ii. 22. 1 Pet. i. 17.

[n] Psal. xvii. 7. 8. et xxvi. 1. et xxviii. 8. et lxxviii. et civ. toto.

[o] Psal. xviii. 1, &c. 26, 27, 28, &c. et xci. 1, 2, &c.

[p] Psal. l. 15, 23. et lxxxi. 7. et lxxxix. 26, 27.

M. Annon ergo recte sanctos homines, qui ex hac vita abierunt, aut Angelos etiam invocabimus?

A. Minime; id enim esset, vel infinitatem illis, ut ubique præsentes sint, vel absentibus abditarum voluntatum nostrarum intelligentiam, hoc est, Divinitatem quandam tribuere; simulque fiduciam atque spem nostram, [q]quæ tota in solo Deo collocanda esset, partim in ipsos transferre, atque ita in idololatriam prolabi. Sed et quum Deus ad se unum nos vocet, [r]sc nos et auditurum et adjuturum, interposito etiam jurejurando, promittat, ad aliorum opem confugere diffidentiæ esset, atque infidelitatis certum argumentum. Et quod ad sanctos homines, qui ex hac vita excesserunt, attinet; quale quæso hoc esset, relicto Deo [s]vivente, audiente [t]preces nostras, potentissimo, [u]propensissimo ad juvandum, qui nos ad se [x]vocet, suo numine atque auxilio nos defensurum in verbo veritatis promittat, [y]atque juret; illo inquam relicto, ad homines mortuos, surdos, imbecilles confugere; qui neque opem promiserint, neque auxilium ferre possint, quibus juvandi nostri partes Deus nusquam tribuerit, ad quos nullis Scripturis, quibus [z]Fides certo nitatur, dirigamur, sed capitis tantum nostri somniis, aut deliriis potius fidentes, temere agamur?

[q] Psal. ii. 12. et xxv. 1, 2. et cxviii. 8, 9.
[r] Psal. l. 15. et lxxxix. 26, 27. Joan. xvi. 23, 24.
[s] Psal. cii. 21, 23, 24.
[t] Psal. l. 15.
[u] Eph. iii. 20.
[x] Matt. xi. 28.
[y] Joan. xvi. 23, 24.
[z] Rom. x. 8, 14, 17.

M. At Angelorum, qui nos circumstant, et nos proinde audiunt, opera Deus ad salutem nostram utitur.

A. Verum id [a]quidem est; nusquam tamen in verbo Dei apparet, Deum velle nos vel Angelis, vel hominibus piis jam mortuis, preces adhibere. Quum vero Fides [b]verbo Dei nitatur, et quod non est ex Fide [c]peccatum sit, recte dixi certum esse infidelitatis signum, relicto Deo, [d]ad quem solum nos Scripturæ remittunt, Angelos, aut pios homines, hac vita carentes, de quibus invocandis nullum in sacris literis verbum extet, precari atque implorare.

[a] Psal. xci. 11, 12. Heb. i. 14.
[b] Rom. x. 17.
[c] Rom. xiv. 23.
[d] Matt. vi. 6, 9.

M. Quum tamen charitas piorum animis nunquam [e]excidat, etiam in cœlo versantes, soliciti sunt de nobis, et salutem nostram expetunt.

[e] 1 Cor. xv. 13.

A. Id vero negari non potest; non tamen sequitur a nobis proinde esse invocandos; nisi putemus amicorum, quamvis longe absentium, tantum quod nobis bene velint, opem atque auxilium esse implorandum.

M. Ab hominibus tamen vivis, præsentibusque quibuscum versamur, opem sæpe petimus.

A. Fateor; homines enim, ut [f]mutuæ inter se opis in-

[f] 1 Cor. xii. 11, 21, 25. 1 Pet. iv. 10.

digent, ita facultatem sese mutuo juvandi Deus illis concessit; diserteque etiam præcepit, ut quisque proximum suum, quo possit adjumento, [g]sublevet. Homines ergo, ut beneficentiæ Divinæ ministros, ex voluntate Dei imploramus, opem atque auxilium ab ipsis expectantes; at ita tamen, ut tota fiducia nostra in solo Deo reponatur, illique quicquid [h]per manus hominum traditur, ut omnis benignitatis fonti acceptum referamus. Recte ergo atque ordine ista fiunt, neque quicquam impediunt, quo minus unum Deum invocemus, ita ut nihil aliunde boni nos expectare, nec alibi totum nostrum præsidium collocare testemur.

[g] Matt. vii. 12. 1 Cor. x. 24. Gal. vi. 2.

[h] 1 Pet. i. 10.

M. Prece igitur et obsecratione, ut et aliis omnibus pietatis officiis, ex præscripto verbi Dei nobis esse utendum, alioqui Deo placere non posse statuis?

A. Omnino; [i]in Religione enim ordinis atque rationis a Deo institutæ perturbatione peccatur, quicquid peccatur.

[i] Deut. iv. 1, 2. et v. 32, 33.

M. Solum ergo Deum, collocata in eo omni fiducia, invocandum esse, eique ut bonorum omnium fonti accepta referenda esse omnia, hactenus dictum est. Jam proximum est, ut qua fiducia miseri mortales, qui tot modis indigni sumus, immortalem Deum appellare debeamus, declares.

A. Sumus quidem nos omnibus modis indignissimi, verum non superbe atque arroganter, quasi digni irrumpimus, sed Christi [k]mediatoris nomine, atque fiducia accedimus; a quo janua nobis patefacta, quamvis vilissimi homunculi simus, ex argilla et luto ficti, scelerumque nostrorum conscientia oppressi, aditu non prohibebimur, neque difficiles accessus ad Divinam majestatem, ejusque gratiam nobis conciliandam sumus habituri.

[k] Joan. xiv. 2, 3, 13. et xvi. 23. Eph. ii. 18. 1 Tim. ii. 5. Heb. iv. 16. et x. 19, 20, 22.

M. Non ergo ut ad Principem aliquem mundanum, ita et ad Deum accessuris opus est homine aliquo internuntio, aut interprete, qui nos illi commendet, causamque nostram exponat.

A. Nihil minus; nisi et Deum hominum [l]instar, ut uni loco inclusum, multa nisi per servos suos intelligere non posse, vel dormitare interdum, vel non satis otii ad auscultandum habere statuamus; nam quod ad indignitatem nostram attinet, preces nostras nulla re nobis insita, sed unica [m]Christi, cujus nomine precamur, dignitate niti jam diximus.

[l] 1 Reg. xviii. 27. Psal. xxxiii. 13. 14. et xliv. 7, 9, 10, 11.

[m] Joan. xv. 16, et xvi. 23, 24, 25, 26.

M. Ergo solius omnino Christi nomine, atque fiducia Patrem Deum invocandum esse censes?

A. Certe, Præceptor; solus enim ille supra alios omnes singulari nos [n]amore complectitur, ut omnia nostra causa velit; solus est apud Deum Patrem, cui ad dexteram assidet, [o]gratiosissimus, ut quidvis ab eo impetrare possit; solus ergo mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus; solus inquam, ut redemptionis, sic et invocationis (ut ita loquar) mediator, cujus solius [p]nomine Deum Patrem adire nos diserte Sacræ literæ jubent, additis etiam promissionibus, eum sua intercessione effecturum, ut, quæ oramus, exoremus. Alioqui [q]sine Christo, Dei auris atque animus ab hominibus abhorret.

[n] Joan. xv. 9, 13. Rom. viii. 17, 18, 19. Eph. v. 2, 25.
[o] Matt. iii. 17. et xii. 18. Rom. viii. 34.
[p] Joan. xiv. 13. et xvi. 23, 26.
[q] Joan. xv. 5. Eph. ii. 12, 13.

M. At mutuis [r]precibus alios adjuvamus tamen, quoad in hoc mundo hæremus.

[r] 1 Thess. i. 2. Col. iv 2, 3. Eph. vi. 18, 19.

A. Verum id quidem est, non tamen ideo alios mediatores Christo substituimus, sed conjunctis animis et votis, ad charitatis atque verbi Dei præscriptum, uno [s]mediatore, communem Patrem invocamus.

[s] 1 Tim. ii. 5. Heb. ix. 15.

M. Alios ergo mediatores ad Deum, aut causæ nostræ patronos, præter unum Christum constituere; et a Scripturis Sanctis, ac proinde a Fide alienum, et cum Christi ipsius summa injuria conjunctum esse dicis?

A. Dico, Præceptor.

M. Perge.

A. Summa rei illuc pertinet, ut promissionum [t]nobis per Christum factarum fiducia nixi, ejusque freti patrocinio, omissa omni dignitatis nostræ ratione, precibus quasi ex ore [u]Christi conceptis, ad Deum Patrem invocandum accedamus; quod ut veritati Scripturarum maxime consentaneum est, ita ab [x]arrogantiæ, temeritatisque culpa longissime utique abest.

[t] Rom. i. 2, 5. et iv. 21, 24. 2 Cor. i. 20. et iii. 4, 5. Gal. iii. 22. Tit. i. 2.
[u] Matt. ix. 10. Job. xiv. 15, 16. et xv. 16, 21. et xvi. 20, 21, 22.
[x] Psal. xxix. 1, 2. Act. iii. 12, 16.

M. Sic vero ut dicis, Deum precantes, quod petunt impetrandi spem bonam concipere debere existimas?

A. Et Dominus ipse certa nos [y]Fide petere jubet, addita promissione, et jurejurando etiam interposito, nobis datum iri, quicquid credentes petierimus; et ejus item Apostoli rectam precationem ex Fide manare docent. Proinde firmissimum hoc orationis ponere fundamentum perpetuo oportet, ut in certa paternæ bonitatis [z]fiducia acquiescentes, Deum preces votaque nostra exauditurum, et quod petierimus, quatenus quidem id nobis expediet, impetraturos nos esse statuamus. Proinde, qui temere [a]atque inconsulte ad precandum

[y] Matt. xxi. 21. Marc. xi. 22, 23, 24. Joan. xvi. 23. Jacob. i. 6. et v. 15, 16.
[z] Matt. vii. 10. Heb. iv. 6. et x. 22. 1 Joan. v. 14.
[a] Matt. xx. 22. et xxi 21. Joan. xvi. 24. Jacob. i. 6. et iv. 3.

accedunt, quique hæsitantes, et de successu incerti orant, vana irritaque verba incassum fundunt.

M. Intelligo qua fiducia Deum invocandum esse dicas; nunc qua animi affectione accedendum sit, explica.

[b] Psal. l. 15. et xciv. 7. et cxxiv. 1, 2. et cxxvii. 1, 2. Rom. vii. 18. et viii. 23 2 Cor. iii. 4, 5.

A. [b]Indigentiæ, egestatisque nostræ, et ærumnarum, quæ nos premunt, sensu animos nostros graviter affici oportet; adeo quidem, ut liberationis ex ea molestia, atque opis Divinæ, quam expetimus, desiderio ingenti flagremus. Sic vero animis affecti, fieri non potest, quin attentissime, [c]ardentissimoque studio, quod cupimus, precibus omnibus votisque exposcamus.

[c] Luc. xviii. 5, 7. Rom. xii. 12. Eph. vi. 18. Col. iv. 2. 1 Tim. ii. 1.

M. Video ergo non satis esse lingua tantum, et voce precari.

[d] 1 Cor. xiv. 14, 15.

A. Mente [d]atque attentione, sine qua preces nunquam efficaces esse possunt, non adhibita, precari non solum est laborem inutilem frustra suscipere; (quomodo enim nos Deus exaudiat, quum non attendimus [e]nec exaudimus nosmetipsos?) nec inanes solum sine fructu, sed et noxias [f]etiam, læsa majestate Divina, voces fundere; tantum abest, ut Divinum numen scelere violatum ejusmodi preces placare queant.

[e] 1 Cor. xiv. 11.

[f] Psal. cix. 7.

M. Unde ista ita esse intelligimus?

[g] Joan. iv. 23, 24. 2 Cor. iii. 17.

A. [g]Quum Deus sit Spiritus, (ut ita loquar) atque animus purissimus, animum mentemque, cum alias semper, tum vero in oratione, per quam homines cum Deo quasi colloquuntur et communicant, vel maxime requirit. Sed et iis tantum, qui ipsum [h]vere, id est, ex animo invocant, propinquum fore se, eorumque preces sibi cordi esse, testatur. Contra vero, qui [i]simulate, temereve in lingua promptum habent, quod animo et cogitatione non comprehendunt nec consequuntur, et cum immortali Deo [k]negligentius, quam cum mortali homine solent, agunt, horum preces Deus merito aversatur, atque detestatur. Mente ergo semper opus est, at lingua in precatione perpetuo non est necessaria.

[h] Psal. cxlv. 18, 19.

[i] Esai. xxix. 12, 13. Matt. xv. 8. et xx. 22.

[k] Jer. xlviii. 10.

M. Est tamen aliquis in precibus linguæ usus.

[l] Psal. xxxv. 28. et li. 14, 15. et lxxi. 21, 22, 23. Rom. xiv. 11. Phil. ii. 11.

A. Maxime. Æquum enim est, ut [l]lingua etiam omnem vim atque facultatem suam ad amplificandum Dei gloriam, sedulo studioseque conferat; quum præ aliis corporis partibus in hunc usum proprie a Deo condita sit. Præterea ut animo cogitatione curaque vehementer intento, vox imprudentibus interdum nobis erumpit; ita nonnunquam ipse pronunciandi sonus, auditioque nostrorum verborum mentum excitat, atque

acuit, ejusque intentionem juvat, et remissionem, qua assidue animus urgetur, arcet atque depellit.

M. Quum hæc ita se habeant, quid de illis censes, qui in precando peregrina atque ipsis incognita lingua utuntur?

A. Eos non operam modo (quod aiunt) sed Deum etiam ipsum pariter ludere. Si enim LOQUI est suo loco verbum quodque scienter ponere, qui [m]non intellecta verba pronuntia perstrepunt verius quam loquuntur; tantum abest, ut precentur. Psittacos enim potius quam homines, nedum Christianos agunt. Itaque facessat procul a piis hominibus talis hypocrisis, atque ineptia. Nam si [n]D. Paulus absurdum putet, ut quis apud alios sermonem habeat, quem non intelligunt, quod verba neminem moveant nisi eum, qui ejusdem linguæ societate sit conjunctus, loquentemque atque audientes mutuo sibi barbaros fore affirmet; quanto est absurdius, nosmet nobis ipsis esse barbaros, dum eo sermone, qui nobis non est notus, utimur, illaque lingua, in qua ipsi surdi sumus, sensus nostros atque vota explicare conamur? Hujusmodi certe homines ut maxime ineptos optimo jure rideri, homines olim sapientissimi existimaverunt.

[m] 1 Cor. xiv. 7, 11.

[n] 1 Cor. xiv. 11.

Cic. de Offic. Tusc. Quæst. lib. v. et de Oratore.

M. Video quam attentus animus, studiumque ardens in oratione requiratur. Verum dic mihi, ardorem istum naturalemne, et animis nostris insitum, an Divinam hanc mentium nostrarum incitationem esse putas?

A. Sacræ literæ testantur Dei Spiritum [o]gemitus inenarrabiles, quibus preces nostræ efficaces redduntur, ciere. Is ergo sine dubio mentes nostras afflatu suo concitat, et ad orandum acuit atque adjuvat.

[o] Rom. viii. 26. Eph. ii. 18.

M. Quid ergo? cum hic animi ardor, qui semper adesse non potest, consederit, aut extinctus omnino fuerit, an pigritia torpentes, et quasi dormitantes, agitationem, motumque Spiritus oscitanter expectabimus?

A. Nihil minus; quin potius languentibus nobis atque animo remissis, Divinum [p]protinus auxilium expetendum est, ut is alacritatem nobis addat, animosque nostros ad precandum excitet; hanc enim mentem, voluntatemque Deo duce suscipimus.

[p] Psal. li. 17. Matt. xxvi. 40, 41.

M. Superest jam, ut quid precibus a Deo debeamus exposcere, ex te intelligam. Licetne, quicquid in mentem buccamve nobis venerit, a Deo petere?

A. Quum homines a vera pietate alieni, tam honestam

Cic. pro domo sua.

opinionem de Deorum suorum numine ac mente habuerint, ut expeti nihil ab iis, quod sit injustum, ac inhonestum debere arbitrarentur; absit ut homines Christiani quicquam, a quo divina mens atque voluntas [q]abhorreat, precibus a Deo petamus unquam. Hoc enim esset divinam majestatem injuria, atque ignominia etiam summa afficere; tantum abest, ut talis illi precatio placere, aut quicquam ab eo impetrare queat. Quum vero et hebetiora sint mortalium [r]ingenia, quam ut quid ipsis expediat intelligere possint, et animorum cupiditates tam cœcæ atque indomitæ, ut non solum duce, quem sequantur, sed frænis etiam, quibus coerceantur, opus habeant, nimis absurdum esset, affectibus nos nostris temere præcipitesque in precando ferri. Ad certam ergo normam atque præscriptionem precationes nostræ omnino sunt dirigendæ.

q Matt. vii. 11. Joan. xvi. 24. Jacob. iv. 3. 1 Joan. v. 14.

r Matt. xx. 22. Rom. viii. 26, 27. Jacob. iv. 3.

M. Quam tandem quæso?

A. Eandem profecto illam, [s]quam cœlestis magister discipulis suis, ac per eos nobis omnibus precandi formulam constituit; qua, quæ a Deo petere fas est, ac nostra impetrare interest, universa in pauca admodum contulit, quæ etiam ab ipso authore Precatio Dominica est appellata. Si ergo doctorem cœlestem divina voce nobis præeuntem sequemur, nunquam profecto a recta precandi regula aberrabimus.

s Matt. vi. 9, 10. Luc. xi. 1, 2, &c.

M. Dominicam ergo precationem mihi recita.

A. Quum volueritis orare (inquit [t]Dominus) sic dicite: PATER NOSTER QUI ES IN CŒLIS, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM. VENIAT REGNUM TUUM, FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CŒLO, SIC ETIAM IN TERRA. PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE. ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS REMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS. ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, SED LIBERA NOS A MALO. QUIA TUUM EST REGNUM, ET POTENTIA, ET GLORIA IN SECULA. AMEN.

t Matt. vi. 9, &c. Luc. xi. 1, 2, &c.

M. Arbitrarisne ista a nobis quasi dictata perpetuo reddenda esse, ita ut uno verbo ab ipsis discedere sit nefas?

A. Non est dubium, quin aliis in precando verbis uti liceat, modo ab hujus precationis sententia non aberremus. In ea enim certa quædam, et præcipua rerum capita Dominus proposuit, ad quæ nisi precationes nostræ omnes referantur, Deo placere non possunt; petat tamen quisque a Deo, ut præsens [u]tempus atque necessitas flagitabunt; et cui volet

De hoc constat ex Psal. libro, et aliis S. Scripturæ locis pene infinitis.

u Psal. cvii. 5. 12, 18, 28, &c.

parti hujus precationis, et quamdiu volet, immoretur, eamque prout visum fuerit, variis modis amplificet; nihil enim impediet, modo ea fiducia atque affectu, quo est ante dictum, in eam item sententiam, quæ hac oratione ostenditur, Deum precetur.

M. Precatio Dominica quot partes habet?

A. Postulationes quidem sex continet, partes tamen in summa duæ sunt; quarum prior ad solam Dei gloriam attinet, et tres priores petitiones complectitur; posterior, quæ reliqua tria postulata continet, ad nostrum commodum proprie pertinet.

M. Itane utilitatem nostram a divina gloria divellis, atque distrahis, ut æqualiter etiam inter ea partiaris?

A. Cohærentia non distraho, sed quo tota tractatio perspicua fiat, secernenda distinguo; ut quorsum quidque pertineat intelligatur. Alioqui, quæ proprie ad Dei gloriam spectant, ea nobis quoque summas utilitates præbent; quæ rursum utilitati nostræ serviunt, omnia ad divinam gloriam revocantur. [x]Is enim finis, ad quem referenda sunt universa, hic esse nobis scopus debet, ut Dei gloria quam maxime amplificetur. Partitionem tamen hanc in tractando interim non incommodam fore, nec temere, sed ex rerum ipsarum proprietate fieri arbitror; quia dum illa, quæ ad Dei gloriam amplificandum proprie pertinent, petimus, utilitates interim nostras omittere oportet, quum tamen in posterioribus illis petitionibus commodis nostris recte serviamus.

x 1 Cor. x. 30, 31. Col. iii. 17.

M. Jam verborum omnium pondera paulo diligentius examinemus. Cur Deum patrem nominas?

A. Permagna in unius hujus nominis usu vis inest. Duo enim, quæ supra in precando cum primis necessaria esse demonstravimus, complectitur.

M. Quæ sunt illa?

A. Primum, non quasi absenti, [y]aut surdo loquor, sed ut præsentem audientemque appello atque invoco, certo persuasum habens, eum precantem me exaudire; alioqui enim ejus auxilium frustra implorarem. Hoc ita de Angelorum aut hominum etiam mortuorum [z]quoquam statuere, sine omni dubitatione profecto non possum. Deinde, fiduciam impetrandi ante diximus esse rectæ precationis fundamentum; charum vero ipsum verbum est Patris, ac paterni amoris, et spei bonæ atque fiduciæ plenissimum. [a]Nomine ergo, quo nullum in

y Psal. xxxiii. 13, 14. et xxxiv. 15, 17. et xciv. 9, 10, 11. et cxxxix. 1, 2, &c.

z Esai. lxiii. 16.

a Psal. ciii. 13. Luc. xv. 18.

terra dulcius, appellari Deus voluit, ita nos ad se invitans, ut eum, omni sublata de patrio ejus animo atque benevolentia dubitatione, intrepide adeamus. Cum enim Patrem eum nobis esse decernimus, [b]ejus spiritu animati, ut suum liberi parentem solent, accedimus. PATER ergo charitatis [c]atque amoris nomine, potius quam dignitatis, aut majestatis vocabulis, REX aut DOMINUS nuncupari hoc loco Deus voluit, et paterni nominis amplissimum patrimonium nobis interim quasi [d]liberis suis relinquere.

[b] Rom. viii. 15. Gal. iv. 6.
[c] Mal. i. 6.
[d] Joan. i. 12. Rom. viii. 15, 17. Gal. iv. 6, 7.

M. Eane igitur impetrandi fiducia, qua suos filii parentes adire solent, ad Deum accedemus?

A. Firmiorem multo stabilioremque esse Divinæ benevolentiæ quam humanæ fiduciam, [e]Christus naturalis Dei Filius, ingenii Patris optime gnarus, nobis confirmat dicens: [f]Si vos (inquit) cum mali sitis, filios vestros inanes voces fundere non sinitis, sed eorum postulationibus conceditis, quanto erit cœlestis Pater, qui ipsa est bonitas atque benignitas, in vos beneficentior? Verum omnem hanc fiduciam [g]Christus, ut est ante dictum, nobis affert; neque enim nos, qui natura iræ filii sumus, Deus sibi nisi per Christum adoptat, aut filios esse agnoscit.

[e] Matt. xi. 27. Joan. i. 18. et x. 15.
[f] Matt. vii. 11. Luc. xi. 13.
[g] Rom. v. 1, 2 Gal. iv. 4, 5, 6. Eph. ii. 4, 5. 1 Joan. ii. 1.

M. Ecquid præterea nos docet Patris nomen?

A. Ut cum eo amore, [h]reverentia, atque obedientia, quæ Patri cœlesti a suis liberis debentur, ad precandum accedamus, utque eam mentem, quæ Filios Dei decet, habeamus.

[h] Mal. i. 6. Matt. xxvi. 39, 42.

M. Deum cur nostrum potius communiter Patrem appellas, quam tuum separatim?

A. Fas quidem est pio cuique Deum [i]suum nominare, verum eam oportet esse hominum Christianorum inter ipsos communitatem, atque societatem, eaque charitate atque benevolentia singuli universos complecti debent, ne aliis neglectis, quisquam unum se curet, sed publicam omnium utilitatem respiciat; unde privatim nihil in tota hac precatione, sed communi omnium nomine cuncta postulantur. Sed et cum illi, quorum infima est fortuna, ac vitæ conditio, communem [k]Patrem cœlestem, æque ac fœlices, et amplissimæ dignitatis gradus adepti, appellent, eos ne fratres dedignemur, qui filiorum honore apud Deum dignantur, admonemur. [l]Despicatissimi vero, et qui in hoc mundo sunt contemptissimi, hac interim consolatione lenire se, atque sustentare possunt, quod in cœlo potentissimum eundemque benignissimum Patrem habeant. Præterea qui Deo [m]fidimus, eum recte Patrem esse

[i] Psal. xxii. 1, 2. Rom. i. 8. 1 Cor. i. 4.
[k] Mal. ii. 10. Joan. viii. 41. 1 Cor. viii. 6. Eph. iv. 5, 6.
[l] Deut. x. 17, 18. Psal. x. 18. et lxviii. 5, 6. et cxlvi. 6, 7. &c.
[m] Psal. xi. 5, 6, 7. et xxv. 1, 2. &c. et lxxiii. 25, 26, &c. Rom. i. 18. et ii. 6, 7, 8.

nostrum profitemur. Impii enim atque increduli, ut Dei potentiam justitiamque extimescant, paternæ tamen ejus erga se bonitati confidere non possunt.

M. Cur Deum in cœlo esse dicis?

A. Quemadmodum cœlum rotundo atque immenso ambitu omnia complectitur, circundat terram, circundat maria; nec res, aut locus est aliquis, qui cœli capacitate non cingitur atque concluditur, estque ex omni parte patens atque apertum, et rebus omnibus perpetuo sic adest, ut in ejus quasi conspectu locentur universa; ita Deum [n]arcem cœli tenentem, rerum pariter omnium gubernacula tenere, ubique præsentem adesse, videre, audire, moderari universa intelligimus.

[n] Psal. xi. 4, 5. et xx. 6. et xxxiii. 13. et cxiii. 4, 5, 6, et cxv. 3.

M. Perge.

A. In cœlo etiam, ob id Deus esse dicitur, quod suprema, atque [o]cœlestis illa regio, Divinis ejus atque præclaris operibus magnificentius collucet atque illustratur. [p]Deum præterea in cœlo regnantem, in æterna et summa fœlicitate esse demonstratur, cum nos adhuc in terris patria pulsi, ut paternorum bonorum exhæredes filii misere et calamitose exulemus. Idem ergo valet, [q]Deum in cœlo esse, ac si cœlestem et modis omnibus Divinum eum appellem, id est, incomprehensibilem, excelsissimum, potentissimum, beatissimum, optimum, maximum.

[o] Psal. viii. 3. et xix. 1.
[p] Psal. viii. 1, 2, 3, 4. et xi. 4, 5.
[q] Psal. l. 3, 4, 6. et lvii. 5, 10, 11. et lxviii. 32, 33. et cxiii, 4, 5.

M. Quem ex istis fructum percipis?

A. Evellunt ista ex animis nostris vulgares atque corruptas de Deo opiniones, instituuntque mentes nostras, ut de cœlesti [r]Patre cogitationem longe aliam, quam de terrenis parentibus solemus, suscipiamus; ut reverentiam summam adversus sanctam ejus majestatem adhibeamus, eamque venerabundi suspiciamus et admiremur; cum attendere, precesque ac vota nostra [s]exaudire certo statuamus; in eo, qui cœli et terræ præses sit et custos, spem omnem collocemus; simul autem ne quid Deo indignum petamus, sed ut cœlestem Patrem appellantes, animos [t]humo excitatos, celsos et erectos, terrena despicientes, supera atque cœlestia cogitantes, habeamus, et ad beatissimam illam Patris nostri fœlicitatem, atque ad cœlum quasi [u]hæreditatem paternam, perpetuo aspiremus, his verbis admonemur.

[r] Psal. l. 4, 5. et lxxxix 5, 6, 7. Matt. xxiii. 9.
[s] Psal. xx. 6. cii. 15, 17. et cxiii. 4, 5.
[t] Col. iii. 1.
[u] Rom viii. 17. Eph. i. 14, 18. Heb. ix. 15. 1 Pet i. 3, 4.

M. Hoc ergo tam fœlici aditu, introituque precationis nobis jam patefacto, age primum mihi postulatum recita.

A. Precamur primum, ut Dei nomen sanctificetur.

M. Hoc quid sibi vult?

A. Non aliud, quam ut ejus gloria [x]ubique amplificetur.

M. Cur istuc primo postulamus?

A. Quia æquissimum est, ut filii patris, [y]servi domini, conditi conditoris gloriam augeri, maxime expetant atque exoptent.

M. An quicquam Dei gloriæ accrescere aut decedere potest?

A. Dei quidem gloria cum perpetuo fit [z]amplissima, in seipsa neque accessione major, neque decessione minor fieri potest; neque enim accretione, aut diminutione aliqua, ut hæc nostra solent, mutatur. Verum ut Dei nomen illustre [a]notumque mortalibus fiat, ejusque laus et gloria in terris, ita uti par est, celebretur, precamur. Et sicuti immensa Dei potentia, sapientia, justitia, bonitas, divinaque ejus opera omnia gloriam Dei atque amplitudinem revera illustrant, ita optamus ut [b]nobis etiam illustria et gloriosa appareant; quo authoris magnificentia, ut in sese est amplissima, sic et inter nos modis omnibus splendida, atque præclara reluceat, et laudibus atque honoribus privatim publiceque celebretur.

M. Perge adhuc.

A. Precamur præterea ne sanctissimum Dei nomen ab aliis propter nostra vitia [c]male audiat, et quasi ignominia afficiatur; sed ut potius ejus gloria per nostram erga Deum hominesque pietatem ubique gentium amplificetur. Optamus denique, ut aliorum omnium, qui cœlo, terra, marive, vel aliis uspiam locis [d]Deorum appellationes et honores adepti sunt, et in templis, variis figuris, atque cæremoniis coluntur; quibusve pectora sua, quasi delubra quædam, homines errore et vanis opinionibus imbuti consecrarunt; hujusmodi inquam commentitiorum, fictorumque Deorum nominibus funditus extinctis, et oblivione sempiterna obrutis, atque deletis, solum Dei cœlestis Patris divinum nomen atque numen, magnum clarumque sit, illudque mortales omnes ubique terrarum agnoscant, auguste sancteque colant atque venerentur, et puris votis atque animis precentur, invocent, implorent.

M. Recte quidem dixisti; perge quæso.

A. Secundo loco petimus, ut ADVENIAT REGNUM DEI, id est, ne verbi sui divinam [e]veritatem, quam et Evangelium regni Christus nuncupat, obscuram in tenebris sinat jacere, sed eam quotidie magis ac magis in lucem proferat, contra

[x] Psal. lxxxix. 5, 6, &c. Rom. xi. 36. et xvi. 27. 1 Cor. x. 31.
[y] Mal. i. 6.
[z] Psal. lvi. 5, 11. et civ. 31.
[a] Psal. xcvi. 1, 3, &c.
[b] Psal. cxiii. 2, 3, &c. et cxiv. 1. et cxlv. toto. Rom. xi. 36.
[c] Esai. liii. 5, 6. Ezec. xxxvi. 20. Rom. ii. 24.
[d] Jos. xxiv. 14, 23. Psal. xcvi. 4. et xcvii. 7, 9. et cxv. 3, 4, &c. et cxxxv. 15. Rom. i. 23. 1 Joan. v. 21.
[e] Matt. iv. 23. et ix. 35. Marc. i. 14. Joan. viii. 31, 32.

Satanæ [f]atque impiorum hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias, qui veritati tenebras offundere, eamque infirmare, aut mendacio contaminare nituntur; contraque tyrannorum violentiam, [g]et crudelitatem, qui modis omnibus veritatem extinguere atque opprimere, adeoque funditus delere conantur, præsidio suo tueatur, et defendat; ut nihil esse, quod Divinæ veritatis invictæ virtuti resistere queat, manifestum atque testatum omnibus fiat.

[f] Matt. xiii. 25, 38, 39. et xv. 2, 3, 6. Luc. xvi. 8. Joan. iii. 19, 20.

[g] Luc. x. 3. et xx. 12, &c. 17, 18. Joan. xvi. 2, 3. et xvii. 14, 15.

M. Perge porro de regno Dei dicere.

A. Precamur ut quamplurimos [h]sacrosancti hujus verbi doctrina institutos, et veritate adductos e tenebris in lucem vocet, eosque in numerum sanctumque cœtum suum, id est, Ecclesiam suam, in qua præcipue regnat, aggregatos, [i]Spiritu suo assidue gubernet, atque ut milites suos, [k]cum hostili vitiorum agmine, quasi exercitu Satanæ, summa contentione perpetuo decertantes, auxilio suo juvet; ut in Divina ejus virtute firmitatem et robur tenentes, coercitis affectionibus pravis [l]atque distortis, fractis domitisque cupiditatibus, victis, fusis, fugatis, atque profligatis vitiis omnibus, cœlestem Rempublicam et Regnum augeant atque amplificent, Deo [m]per Spiritum interim suum in ipsorum animis regnante atque imperante.

[h] Marc. i. 14, 15. Luc. iv. 18, 19. Joan. xvii. 17, 19, 20, 21. 1 Pet. ii. 9, 10.

[i] Joan. xvi. 13.

[k] Luc. xxii. 31. Eph. vi. 10, 11, 17, 18. 1 Pet. v. 8, 9.

[l] Rom. i. 11, 12. et viii. 1, 5, &c. 10, 12, &c.

[m] Rom. viii. 9, 10, 11. 1 Joan. iii. 24. et iv. 13.

M. Ista quotidie fieri videmus.

A. Fiunt quidem hæc quotidie, ita ut [n]Deum piorum atque impiorum rationem habere satis intelligamus, utque Regnum Dei in hoc mundo præclare inchoatum videri possit; optamus tamen, ut assiduis incrementis eo usque augescat, ut reprobis omnibus, [o]qui Satanæ instinctu contra divinam veritatem contumaciter, atque obstinate resistunt, et repugnant, et vitiis atque flagitiis omnibus sese contaminantes, Dei Regno atque imperio subjicere recusant, sub jugum missis, atque perditis; [p]Satanæque ipsius tyrannide funditus deleta, hostibusque omnibus confectis, oppressis, atque obtritis, ita ut nihil contra Dei nutum atque ditionem respirare queat, ipse solus ubique gloriose regnet, imperet, triumphet. Et sicuti Deo [q]per Spiritum suum in nobis regnante, communitas quædam hominibus cum Deo est in hoc mundo; ita fœlicissimi [r]etiam Regni sui gaudium, atque gloriam sempiternis seculorum ætatibus non immutandam in cœlo nobiscum per Christum ut communicet, quo cœlestis Patris nostri non filii modo, [s]sed et hæredes simus, precamur atque optamus; cujus voti Patrem

[n] Psal xxxiv. 15, 16. et xxxvii. 9, 10, &c. et lviii. 5, 6, 9, 10.

[o] Matt. xiii. 38, 41. et xxii. 6, 7, 13. Luc. xix. 14, 27. et xii. 45, 46. et xx. 16.

[p] Matt. xxv. 41. Rom. xvi. 20. 1 Cor. xv. 24, 25, 26, &c. 54, 55, 56, 57.

[q] Rom. viii. 9, 10, 11. 1 Joan. iii. 24. et iv. 13.

[r] Matt. xiii. 43. 1 Cor. ii. 9. Apoc. xxi. 10, 11, &c.

[s] Matt. xxv. 34. Rom. viii. 15, 16, 17. Tit. iii. 7.

cœlestem nostrum aliquando tandem nos compotes facturum esse, nihil profecto quicquam ambigimus aut dubitamus.

M. Quid deinde sequitur?

[t] Psal. xl. 8. Matt. xxvi. 39, 42. Joan. iv. 34. et v. 30. et vi. 38. Eph. vi. 1. 1 Joan. ii. 13.

A. Ut dei voluntas fiat; [t]filiorum enim est, ut ex patrum voluntate vitam suam instituant. Non contra ut parentes ad filiorum voluntatem sese conforment.

M. An ergo homines quicquam invito Deo facere posse existimas?

A. Multa certe scelera atque flagitia, illius voluntate per-

[u] Psal. v. 4, 5. et xlv. 7, 8. et cxix. 104, 128.

graviter [u]offensa, quotidie a mortalibus fieri, atque admitti perspicuum est, planeque inter omnes constat; ita tamen ut nulla vi, aut necessitate cogi possit Deus, quin quod facere

[x] Psal. cxv. 3. et cxxxv. 6, 7. Rom. ix. 19.

[x]destinavit, id facillime efficiat. Non tantum igitur precamur, ut quod illi decretum fuerit, eveniat; quod quum divina voluntas efficiendi necessitatem secum semper adferat,

[y] Rom. viii. 7, &c. Gal. v. 16, 17.

evenire necesse est; sed quum mentes nostræ [y]cupiditatibus flagrantes, plerumque ferantur ad eas res appetendas, atque peragendas, quæ Deo maxime displicent, petimus, ut omnes

[z] Rom. viii. 2, 4, 5, &c. 14, 15, 16. 1 Cor. ii. 12. et iii. 16.

omnium voluntates, [z]Sacri Spiritus sui impulsu, ad sensum et voluntatem numinis sui ita commutet atque conformet, ut nihil velimus aut optemus, nedum faciamus unquam, a quo divina ejus

[a] Act. xxi. 14. 1 Pet. iii. 17. et iv. 13.

voluntas abhorreat; et quicquid ex ejus voluntate [a]evenire intelligimus, id non æquis solum sed et libentibus animis accipiamus, et patiamur.

M. Quorsum addis, ut in terra fiat itidem ac in cœlo Dei voluntas?

A. Nimirum ut, ad exemplar cœlestium illorum spirituum

[b] Psal. xci. 11. et ciii. 20. et civ. 4, 5. Heb. i. 6, 7, 14. Apoc. vii. 11. et xix. 10. et xxii. 9.

quos [b]Angelos vocamus, divinæ Majestati dicto audientes atque obedientes per omnia simus; et quemadmodum in cœlo nulla est rebellio, ita neque in terra quisquam qui contra sanctam Dei voluntatem resistere et repugnare aut velit, aut audeat,

[c] Psal. xix. 4, 5. et civ. 20, &c. et cxxxv. 7. et cxxxvi. 7, 8, 9.

usquam inveniatur. Sed et quum [c]solem ac lunam, reliquasque stellas in cœlo nobis conspicuas, assiduo motu et perenni agitatione ferri, et terram radiis suis ex divina voluntate perpetuo illustrare videmus, obedientiæ exemplum nobis ad imitandum propositum intuemur. Præterea vero quum in Sacris

[d] Deut. v. 32. Matt. vii. 21. et xii. 50.

Scripturis voluntatem suam [d]Deus diserte explicuerit, id quod Testamenti [e]nomine illis indito aperte significavit, qui in Scripturarum sententia non manent, a Dei certe voluntate manifesto recedunt.

[e] 2 Cor. iii. 6, 14. Gal. iv. 24.

M. Satis jam a te tractata esse videtur prima pars pre-

cationis Dominicæ, quæ tria illa capita ad Dei solam gloriam pertinentia complectitur. Nunc ad secundam partem, quæ utilia et commodis nostris apta proprie spectat, tametsi eadem ad Dei quoque gloriam referantur, opportune pergemus.

A. Secundæ partis primum caput est: PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE.

M. Quid panis quotidiani nomine significas?

A. Non ea modo, [f]quæ victum cultumque suppeditent, verum etiam res alias omnes in universum, quæ ad vitam tuendam, conservandam, et in tranquillitate, ac sine metu degendam sunt necessariæ.

[f] Psal. civ. 15, 27, &c. et cv. toto. et cxliv. 10, 11, 12, &c. et cxlv. 14, 15, 16, &c.

M. Ecquid est aliud, de quo hæc vox Panis nos admoneat?

A. [g]Ne res ad epulandum exquisitissimas, neve vestes pretiosas, aut magnificam supellectilem ad voluptatem studiose conquiramus, et comparemus; sed ut delicias atque luxum despicientibus nobis, et parvo contentis, tenuis salubrisque victus, et vestitus moderatus, atque necessarius satisfaciat.

[g] Psal. lxxviii. 18, 19, 20, 29, 30. et cvi. 14. Matt. vi. 25. Luc. xvi. 19. 1 Tim. v. 8, 9.

M. Quomodo vero panem appellas tuum, quem a Deo dari postulas?

A. Dei [h]munere noster fit, quum nobis ad quotidianos usus, tametsi jure minime debeatur, ab ipso benigne donetur.

[h] Psal. cxv. 16. Matt vii. 7, 8. 1 Cor. iv. 7. Jacob. i. 17.

M. Num qua alia de causa tuum panem vocas?

A. Hoc verbo admonemur victum [i]labore nostro, aut legitima ratione parandum esse, ut eo contenti, de rebus alienis quicquam per avaritiam aut fraudem ne appetamus unquam.

[i] Gen. iii. 19. Eph. iv. 28. 2 Thess iii. 8, 10, 12.

M. Quum nos Deus labore nostro victum jubeat quærere, cur ab eo panem postulas?

A. Unus est Deus, qui terris [j]fœcunditatem dat, qui uberes, fructuumque fertiles agros efficit; frustra ergo omnem nos vitæ cursum in labore corporis, atque animi contentione confecturos esse, atque consumpturos certum est, [k]nisi Deus conatus nostros velit prosperare. Par est ergo, ut a Deo Opt. Max. qui juxta Davidis oraculum, omnia ut condidit, [l]ita pascit etiam atque tuetur, ad victum vitamque necessaria, precibus quotidie exposcamus; eaque quasi dante porrigenteque Deo, et de illius manu in manus nostras tradita, gratis animis accipiamus.

[j] Psal. xxiv. 1. et lxv. 9. et lxviii. 9. et civ. 13. et lxxxv. 12. et cxlvii. 8, &c.

[k] Psal. cxxvii. 1, 2. 1 Cor. iii. 7.

[l] Psal. civ. et cxxxvi. 25. et cxlv. 15. et cxlvii. &c.

M. An divitibus etiam, qui rebus omnibus circumfluunt atque abundant, panem a Deo in diem petendum esse existimas?

A. Frustra [m]congeremus, recondemusque copias, quæ vel ambitioni nostræ, vel quotidianis sumptibus, vel necessario usui, in multos etiam annos suppetent, nisi illarum usum salutarem nobis Deus ad vitam sua gratia effecerit. Imo frustra [n]in stomachum cibum ingerimus, nisi divina virtus, qua potius quam ciborum nutrimentis alimur et sustentamur, et alendi vim cibis, et stomacho concoquendi facultatem tribuerit. Ob quam causam cœnati etiam diurnum cibum, quem jam accepimus, a Deo tamen nobis præberi, id est, vitalem atque salutarem fieri postulamus.

[m] Psal. xciv. 9. Luc. i. 53. et xii. 15. 1 Tim. vi. 17. Apoc. iii. 17.

[n] Deut. viii. 3. Psal. lxxviii. 29, 30. Matt. iv. 4.

M. Quotidianum, et Hodie, quorsum adduntur?

A. Ut solicitudinum [o]crastinarum aculeos, ne dies noctesque illis frustra excruciemur, ex animis nostris evellat; utque nimiarum opum inexplebili cupiditate, et quasi rabida fame, a mentibus nostris [p]depulsa, officium nostrum sedulo facientes, a benignissimo Patre quotidie petamus, quod ille paratus est quotidie impartiri.

[o] Matt. vi. 25, 34. Luc. x. 41. Phil. iv. 6. 1 Pet. v. 7.

[p] 1 Tim. vi. 9, 10.

M. Perge ad cætera.

A. Sequitur quinta petitio, qua Patrem precamur, UT DELICTIS NOSTRIS IGNOSCAT.

M. Quem tandem ista venia fructum consequemur?

A. Amplissimum; nam quum Deus supplicum [q]misereatur, eodem apud eum loco, atque in ea cum ipso gratia erimus, ac si innocentes, sancti, et in omnibus vitæ partibus integri essemus.

[q] Psal. xxxii. 1, 2. Rom. v. 8, 10. 2 Cor. v. 18. Col. i. 20, 21, 22.

M. An hæc veniæ petitio omnibus est necessaria?

A. Maxime; quum nemo vivat mortalium qui in officio frequenter [r]non labatur, et a quo non sit in Deum sæpe ac graviter peccatum; adeoque testimonium in nos dicente [s]Scriptura, qui in uno aliquo offenderit, omnium manifestus tenetur; et qui de uno peccato se Deo ut purget contendit, mille facinorum reus arguetur. Ut ergo erratorum veniam impetremus, [t]una spes est reliqua, unicum omnibus perfugium, Dei per Christum bonitas et misericordia. Qui vero se peccasse [u]non fatentur, neque delictorum veniam petunt, sed [x]cum Pharisæo illo, innocentia atque justitia sua apud Deum, vel contra Deum potius gloriantur, ii a societate fidelium, quibus hæc precandi formula, quam sequantur, est constituta, et a portu atque perfugio salutis sese excludunt. Hoc est enim quod [y]Christus dicit, se non ut justos, sed peccatores ad pœnitentiam vocaret, in hunc mundum venisse.

[r] Psal. xiv. 3. et xliii. 2, 3. Rom. iii. 10, 11. 1 Joan. i. 8, 10.

[s] Job. ix. 1, 2. Jacob. ii. 10.

[t] 2 Cor. v. 18, 19, 20, &c. 1 Joan. i. 7, 9. et ii. 1, 2, 12.

[u] 1 Joan. i. 8, 10.

[x] Luc. xviii. 9, &c.

[y] Matt. ix. 13. Luc. v. 31, 32. et xv. 7. 1 Tim. i. 15.

M. Gratuitone Deum peccatis nostris ignoscere statuis?

A. [z]Omnino. Alioqui non remissio, sed compensatio quædam videri posset; ad compensandum vero unum vel minimum vitium, facultate ulla nostra sufficere nullo modo possumus. [a]Non ergo præteritam culpam pariter, atque Dei pacem operibus nostris, quasi pretio quodam redimere, et paria paribus, quod aiunt, referre possumus; sed errati pariter atque supplicii [b]veniam a Deo per solum Christum impetrabilem precibus omnibus petere, atque ut ignoscat suppliciter postulare debemus.

[z] Rom. iii. 24, 25. et xi. 5, 6.

[a] 2 Tim. i. 9, 10. Tit. iii. 5.

[b] Psal. xxxii. 5, 6. 1 Joan. i. 9. et ii. 1.

M. Verum ista, atque ea quæ mox nobis statuitur conditio, vix apte satis inter se cohærere videntur. Petimus enim, ut Deus ita nobis ignoscat, ut nos debitoribus nostris condonamus.

A. [c]Æquissima quidem conditione veniam nobis Deus offert; quæ tamen, in eam partem accipienda non est, quasi hominibus ignoscendo, veniam ita promereamur, ut ea quasi gratia quædam nobis a Deo referatur. [d]Gratuita enim tum Divina remissio non foret, neque solus Christus, sicuti Scripturæ docent, et nos ante explicuimus, peccati pœnas nobis debitas, in cruce persolvisset. Verum, nisi alii nos ad sibi condonandum faciles habeant, atque ita clementiam et lenitatem Dei patris [e]imitando, ejus nos filios esse ostendamus, clare denuntiat, ut nihil a se aliud, quam summam animadversionis severitatem expectemus. Nostram ergo placabilitatem, non ut causam promerendæ a Deo veniæ proposuit, sed ut pignori foret, ad animos nostros certa Divinæ clementiæ fiducia confirmandos.

[c] Matt. xviii. 32, 33. Luc. vi. 36, 37, 38.

[d] Rom. iii. 24, 25. et xi. 5, 6. Gal. v. 4.

[e] Matt. v. 7. Luc. vi. 36. Jacob. ii. 13.

M. Nullusne ergo veniæ locus apud Deum iis relinquitur, qui ad ignoscendum, et ad offensiones deponendas implacabiles sese, inexpiabilesque aliis præbent?

A. Nullus omnino; id quod cum [f]aliis multis sacræ Scripturæ locis testatum est atque manifestum, tum parabola illa Evangelica de servo, qui cum Domino suo decies mille talenta deberet, ipse interim conservo debitori, centum quos illi crediderat denarios, condonare recusavit, præclare nos admonet; [g]ad eandem enim severitatis regulam, atque idem exemplum, judicium sine misericordia in illum constituetur, qui ad lenitatem atque misericordiam erga alios mentem suam revocare nescit.

[f] Matt. vi. 14, 15. et xviii. 24, 28, 29, 33, 34.

[g] Matt. vii. 2, 3. Luc. vi. 37, 38. Jacob. ii. 13.

M. Litesne in foro, de jure et injuria, hic damnari existimas?

A. Animum [h] vindicem atque ultorem injuriarum verbum Dei certe condemnat; videant ergo litigatores, qua mente litem cuiquam intendant. [i] Leges tamen et Instituta juris publici; et illorum usus legitimus, id est, ad justitiæ et charitatis normam directus, Evangelio Christi minime aut tolluntur, aut damnantur. In hac vero precationis Dominicæ parte, ad Christianæ lenitatis, et dilectionis regulam mentes nostræ exiguntur, [k] ne scilicet a malo vinci, id est, aliorum culpa eo nos adduci sinamus, ut malum malo rependere velimus, sed ut bono malum vincamus potius; hoc est, maleficia benefactis pensemus, benevolentiamque erga inimicos atque hostes etiam immanes, et capitales habeamus atque conservemus.

M. Perge porro ad sextam petitionem.

A. Ea precamur, NE NOS INDUCAT IN TENTATIONEM, SED A MALO LIBERET. Nam ut ante præteritorum veniam petimus, ita nunc ne [l] amplius peccemus, oramus. Mille formidines opponuntur, [m] mille intenduntur pericula, mille nobis insidiæ comparantur, atque collocantur. Nos vero natura [n] imbecilles, ad præcavendum incauti, ad resistendum ita infirmi sumus, ut minimis momentis, atque occasionibus levissimis in fraudem impellamur, feramurque præcipites.

M. Perge.

A. Quum ergo et ab hominibus [o] astutis atque violentis, et a concupiscentia [p] atque appetitione propria, a carnis, mundi hujus, atque corruptelarum omnium illecebris; super omnia vero, a fallaci illo, vafro, et veteratore [q] serpente, id est Diabolo, qui, rabidi [r] leonis instar, quærens quem devoret, cum aliis infinitis malitiosis [s] spiritibus mille nocendi artibus ad perniciem instructis, perpetuo capitibus nostris imminet, vehementissime assidueque oppugnemur, adeoque, qua sumus ipsi infirmitate, statim concideremus, planeque de nobis actum foret; confugientes ad fidem [t] Opt. Max. patris, eum oramus ne nos in his difficultatibus et periculis deserat atque destituat, sed ut sua nos virtute [u] ita armet, ut contra carnis nostræ cupiditates, hujus mundi illecebras, et Satanæ vim atque impetum non resistere modo et repugnare, sed illos vincere etiam atque superare valeamus; itaque animas nostras a [x] vitiis atque flagitiis avocet, ne in illa delabamur, aut in officio labamur unquam, sed in optimi pariter atque potentissimi patris [y] tutela, et præsidio, tuto et sine metu perpetuo lateamus.

M. Satanæ igitur astutiam atque impetum, mundi hujus

[h] Rom xii.19, 20. Heb. x. 30.
[i] Rom. xiii.1, 4, 6, &c. Tit. iii. 1. 1 Pet. ii. 13, 15.
[k] Matt. v. 39, 44 Luc. vi. 27, 28. Rom. xii. 14, 17, 18, 19, 20.
[l] Joan. v. 14. et viii. 11. 2 Pet. ii. 20, 21, 22.
[m] Matt. x. 16, 17, &c. Eph. vi. 12, &c. 1 Pet. v. 8, 9.
[n] Matt. xxvi. 41. 1 Cor. i. 27.
[o] Matt. x. 16. Luc. xvi. 8. 2 Cor. xi. 13, 15.
[p] Jacob. i. 14. et iv. 1. 1 Joan. ii. 16.
[q] Gen. iii. 1, &c. 2 Cor. xi. 3 Apoc. xii. 4. et xx. 2.
[r] 1 Pet. v. 8.
[s] Eph. vi. 11.
[t] Joan. xvi. 33. 1 Joan. iv. 2, 4. et v. 4.
[u] Rom. xvi. 20. Eph vi. 10. 2 Tim. iv. 17, 18.
[x] Rom. viii. 1, 4, 6, &c. 1 Pet. iv. 1.
[y] Psal. xci. 1, &c. toto. et cxxi. toto.

insidias et præstigias, ac carnis nostræ corruptelas atque illecebras, quibus animi nostri ad peccatum solicitantur, atque irretiti tenentur, tentationis nomine significas?

A. Sane, Præceptor.

M. Quum tamen tentationum quasi laqueis homines captare atque implicare [z]Satanæ proprium sit, cur, ne Deus te in tentationem inducat, precaris?

[z] Act. v. 3. 1 Cor. vii. 5.

A. Deus ut [a]suos, ne Satanæ fraudibus illaqueati, in vitia atque flagitia delabantur, tutatur et conservat; ita impiis opem atque auxilium suum [b]subducit atque subtrahit; quo destituti, cupiditate cœci, ac præcipites omnibus insidiis circumveniuntur, et in omne feruntur nefas; tandemque consuetudine scelerum, quasi obducto [c]callo, animi illis obdurescunt, atque ita Satanæ tyranno mancipati, et in servitutem addicti, in perniciem atque interitum sempiternum ruunt.

[a] Luc. xxii. 31, 32. 1 Cor. xv. 10. 2 Cor. xii. 9. Eph. vi. 10, 11. 2 Tim. iv. 17, 18.
[b] 1 Reg. xvi. 14. Gal. v. 4. 1 Pet. v. 5. Jud. 18, 19.
[c] Esai. vi. 10. 2 Cor. iv. 3, 4. Eph. iv. 18, 19.

M. Superest adhuc Dominicæ precationis appendix quædam.

A. QUONIAM TUUM EST REGNUM, ET POTENTIA, ET GLORIA IN SECULA. AMEN.

M. Cur Christus hanc conclusionem addi voluit?

A. Primum, ut certam nobis fiduciam impetrandi, quæ antea postulavimus omnia, in ejus bonitate, et potentia, [d]non in ullis nostris, aut aliorum meritis sitam esse intelligeremus. Nihil enim esse, quod is qui [e]orbem terrarum regit et gubernat, in cujus ditione atque potestate sunt universa, qui amplissima atque immortali gloria clarissimus super alios omnes infinite excellit, [f]petentibus nobis dare vel non possit, vel nolit, modo recte, et certa fide rogetur, his verbis declaratur; ut nulla jam in animis nostris dubitatio relinquatur amplius; id quod etiam addita ad precationis finem vox [g]AMEN declarat atque confirmat. Præterea vero, quum solus Deus quæcunque decrevit, pro sua voluntate [h]largiri possit, ab uno illo universa hæc et peti debere, et impetrari posse clarissime apparet; [i]nullumque periculum, aut malum nostrum usque adeo magnum esse, quod is incredibili potentia, sapientia, et bonitate sua vincere, et a nobis depellere, atque ad salutem etiam convertere facillime non possit.

[d] Psal. iii. 3. 8. Ose. xiii. 9. Joan. x. 28.
[e] Psal. xxii. 28. et xxiv. 1, &c. 7, &c. et xxix. 1, 2, &c. et xlvii. toto. et xcv. 3, 4, &c. 1 Tim. vi. 15, 16.
[f] Matt. vii. 11. et xxi. 22. Jacob. i. 6.
[g] 2 Cor. i. 20. Psal. cxv. 3.
[h] 2 Cor. ix. 8. Eph. iii. 20. 1 Tim. vi. 15.
[i] 2 Cor. i. 8, 9, 10. 2 Tim. iv. 17. Jud. 24.

M. Gloriæ Divinæ qua de causa in extrema parte fit mentio?

A. Ut omnes precationes nostras Dei laudibus claudere instituamur; is enim est [k]finis ad quem referenda sunt universa; is exitus, ad quem ut non precationes solum, sed

[k] 1 Cor. x. 31. Eph. iii. 20, 21. Phil. i. 11. 1 Tim. i. 17. Jud. 25.

et actiones nostræ, cogitationesque omnes perveniant, nobis hominibus Christianis semper propositus esse debet, ut Dei gloria quam maxime amplificetur, atque illustris reddatur; utcunque interim inter mortales, quorum animis Christiana religio non est infixa, vix inveniatur, qui laboribus susceptis, periculisque aditis, [l]non quasi mercedem rerum gestarum suarumque virtutum desideret gloriam, qua tamen, ut non vera solidaque gloria, sed inani venditatione atque ostentatione, vehementer suis graviterque interdicit Dominus.

[l] Matt. vi. 1, 2, 3, 4, 5, 6, &c. Gal. v. 26. Phil. ii. 3. et iii. 19.

M. Precationis ergo tractatui quædam de Dei laudibus, et gratiarum actione apte atque opportune subjungemus?

A. [m]Aptissime sane; neque enim in extremo tantum precationis Dominicæ fine, gloria Dei memoratur, sed ipsum etiam principium ejus a gloria laudibusque divinis ducitur. Quum enim optamus, ut Dei nomen sanctificetur, quid optamus aliud, quam ut ipsi ex omnibus ejus operibus sua constet gloria? Videlicet, ut peccatoribus condonans, [n]misericors; in impios [o]animadvertens, justus; præstans quod promisit, [p]verax; indignos beneficiis quotidianis cumulans, [q]optimus benignissimusque censeatur; ut quicquid [r]operum ejus vel cernimus, vel intelligimus, eo ad ejus gloriam laudibus amplificandam excitemur. Ita gloriam suam, cum sui invocatione Deus voluit esse conjunctissimam. Par enim est, ut sicuti [s]difficultatibus affecti atque afflicti, ad Dei opem atque misericordiam supplices confugimus, ita malorum atque molestiarum liberationem nos per eum consequi, eumque bonorum omnium unicum nobis authorem esse ingenue agnoscamus. Nam a quo veniam bonaque omnia precamur, danti illi gratiam non habere atque agere, summa profecto esset ingratitudo. [t]Meritam ergo Deo immortali gratiam memori mente, et justis honoribus persolvere perpetuo debemus.

[m] Rom. i. 8, 10. 2 Cor. i. 11. Eph. i. 15. Phil. i. 3, 4.

[n] Psal. li. 1.

[o] Rom. i. 18.
[p] Rom. iii. 3, 4.
[q] Psal. lxv. 9, &c. et lxviii. 5. &c.
[r] Psal. xix. 1, 2.

[s] Psal. xxxiv. 1, 2. et l. 14, 15. 23. 1 Thess. i. 2. et v. 18. 2 Thess. i. 3.

[t] Psal. xcii. 1. et xciii. et civ totis.

M. Perge.

A. Præterea vero Divinam bonitatem, justitiam, sapientiam, potentiam [u]laudibus prosequi et celebrare, illique nostro, ac totius humani generis nomine, grates agere, est cultus Dei pars, ad ejus majestatem æque ac invocatio proprie pertinens; qua nisi eum rite colamus, non solum indigni ejus [v]tot tantisque beneficiis, ut ingrati, sed et æternis suppliciis, ut in Deum impii, dignissimi profecto erimus.

[u] Psal. xxix. 1, 2. et l. 14, 15, 23. Rom. xv. 6.

[v] Luc. xvii. 18. Joan. v. 44. Rom. i. 21, 24. 1 Pet. iv. 11.

M. Quum ab hominibus etiam beneficia accipiamus, an non et illis gratias agere fas erit?

A. Quæcunque nobis beneficia homines deferunt, [x]ea Deo accepta referre debemus; quod unus ille revera hominum ea ministerio largiatur. Ob quam etiam causam, tametsi homines benefici et liberales esse non debent, ut gratiam exigant, sed ut [y]Dei gloriam illustrent, illis tamen, qui [z]benignitate adducti, per beneficium et gratiam aliquid nobis concedunt, gratias agere quid ni licebit, quum et ipsa id postulet [a]æquitas, et ita humanitatis Lege astringamur? Sed et Deus ipse, hac nos illis ratione devinciens, nos id ipsum vult agnoscere.

[x] 1 Cor. xii. 6, 11. 2 Cor. ix. 6, 9, 12. 1 Pet. iv. 10, 11.

[y] Matt. v. 16. 1 Pet. ii. 12.

[z] Psal. xvi. 3.

[a] Matt. v. 43, 46, 47. Luc. vi. 32, 33, 34. Act. xxiv. 2, 3.

M. Gratum ergo animum etiam in homines probas?

A. Maxime; quum gratitudo, ut ita loquar, erga homines nostra, ad Deum ipsum redeat, quod a liberalitatis Divinæ fonte, quasi quadam rivulorum deductione, [b]bona sua per manus hominum Deus in nos derivet. Itaque ni hominibus nos gratos præbeamus, in ipsum etiam Deum ingrati erimus. Tantum hoc curemus, ut ad Deum ipsum, tanquam ad bonorum omnium authorem atque fontem unicum, [c]solida sua gloria redeat, atque redundet.

[b] 1 Cor. xii. 6, 11. 1 Pet. iv. 10, 11.

[c] Psal. cxv. 1. Matt. v. 16. 2 Cor. iv. 15. et ix. 9, 11, 12, 13. 1 Pet. ii. 12.

M. Ecqua est norma atque præscriptio, quam, dum Deum gloria et honore afficimus, aut illi grates agimus, certo sequi possumus?

A. Innumeræ Dei laudes passim in ejus verbo descriptæ extant, a quarum regula si non aberrabimus, habebimus quod in sua Deo gloria et honore deferendo, atque in gratiarum actione perpetuo sequamur. In summa vero, quum Deum [d]non Dominum solum, sed patrem etiam ac servatorem nostrum esse, nosque vicissim ejus esse filios, atque servos Scripturæ Sacræ doceant, æquissimum est, [e]vitam nos omnem amplificandæ illius gloriæ addicere, debitum ipsi honorem reddere, eum colere, precari, venerari, gratias illi perpetuo et habere et agere; quum in hunc [f]finem ab eo conditi simus, et in hoc mundo collocati, ut immortalis ipsius gloria splendorem inter mortales maximum obtinere, et ad summam amplitudinem pervenire posset.

[d] Deut. x. 17, 20. et xxviii. 58. Mal. i. 6, 7. et ii. 10.

[e] Psal. xxix. 1, 2. et xxxiv. 1, 2. et xcii. 1. et ciii. toto. Rom. xv. 6.

[f] Prov. xvi. 4. Esai. xliii. 7. Rom. xi. 36. Col. i. 16.

QUARTA PARS, DE SACRAMENTIS.

M. Absoluta jam Legis Divinæ, Symbolique, id est, confessionis Christianæ, precationis item, et gratiarum actionis tractatione, superest jam, ut de Sacramentis, mysteriisque

Divinis, quæ precationem et gratiarum actionem semper conjunctam habent, ultimo loco dicatur. Dic igitur mihi, quid est Sacramentum?

g Matt. iii. 11. et xxvi. 26. et xxviii. 19. Joan. iii. 5.

A. [g]Est externa Divinæ erga nos per Christum benevolentiæ beneficentiæque testificatio, signo aspectabili arcanam, spiritualemque gratiam repræsentans, qua [h]Dei promissiones de remissione peccatorum, et æterna salute per Christum data, quasi consignantur, et earum veritas in cordibus nostris certius confirmatur.

h Act. ii. 38. Rom. vi 3, 4. 1 Cor. x. 16. et xi. 24, &c. Gal. iii. 27. 1 Pet. iii. 21.

M. Sacramentum quot partibus constat?

i Matt. xxvi. 26. Joan. iii. 5. Act. ii. 38. Gal. iii. 26, 27.

A. Duabus; externo [i]elemento, seu signo aspectabili, et invisibili gratia.

M. Cur Deus ita externis signis nos uti voluit?

A. Nos quidem mente, atque intelligentia adeo cœlesti Divinaque præditi non sumus, ut nobis Angelorum instar Divinæ gratiæ pure per se appareant; hac ergo ratione infirmitati nostræ consuluit Deus, ut, qui terreni sumus atque cœci, in externis elementis et figuris, quasi speculis quibusdam, cœlestes gratias, quas alioqui non cerneremus, intueremur; et id nostra maxime refert, ut sensibus etiam nostris Dei promissiones ingerantur, quo mentibus nostris sine ulla dubitatione confirmentur.

M. At promissionibus Divinis certam fidem non adjungere, nisi ejusmodi subsidiis fulciamur, an non infidelitatis in nobis manifestum est argumentum?

k Matt. vi. 30. et viii. 26, et xvi. 8.

A. [k]Exigua quidem atque imperfecta Fide, quoad in hoc mundo versamur, præditi sumus, neque tamen fideles esse desinimus; reliquiæ enim diffidentiæ, quæ semper in carne nostra hærent, imbecillitatem Fidei indicant, [l]sed eam tamen non prorsus extinguunt. Has quum omnino excutere non possimus, est tamen continuo profectu, usque ad vitæ finem, ad Fidei [m]perfectionem contendendum, in quo nos conatu Sacramentorum usus plurimum sublevat.

l Luc. xvii. 5. Act. xvi. 5. Rom. i. 17. et xiv. 1.

m 1 Cor. ix. 24. 2 Cor. v. 7, 8. Heb. vi. 1.

M. Ecqua alia causa subest, quare Dominus externorum etiam signorum usum adhiberi voluerit?

A. Dominus mysteria sua in hunc præterea usum instituit, ut [n]professionis nostræ notæ, atque indicia quædam essent, quibus de Fide nostra quasi testimonium coram hominibus diceremus, patefaceremusque nos cum aliis piis Divinorum beneficiorum participes esse, et unum cum illis Religionis quasi concentum, atque consensum habere, Christi-

n Matt. xxvi. 26. et xxviii. 19. Act. ii. 38, 41. 1 Cor. xi. 24. Eph. iv. 5.

anique [o]nominis, atque appellationis discipulorum Christi nos minime pudere palam testificaremur.

[o] Joan. ix. 22. et xii. 42. et xix. 38. Act. xi. 26. 1 Pet. iv. 16.

M. Quid ergo de illis judicas, qui mysteriis Divinis tanquam minus necessariis, carere se posse censent?

A. Primum, huic in Deum Patrem, ac Servatorem nostrum Jesum Christum, atque ejus etiam Ecclesiam officio tam pio atque debito deesse sine [p]summo scelere non possunt. Nam quid hoc aliud esset, quam Christum oblique abnegare? Et qui se Christianum [q]profiteri non dignatur, indignus est, qui in Christianorum numero habeatur. Deinde, si qui Sacramentorum usum, ac si opus iis [r]non haberent, aspernarentur, non modo arrogantiæ summæ, sed et impietatis etiam in Deum merito damnari debere existimo; quum non suæ tantum infirmitatis subsidia, sed et Deum ipsorum authorem contemnant, ipsius [s]gratiam respuant, et Spiritum, quantum in ipsis est, extinguant.

[p] Joan. iii. 5. Luc. xiv. 18, 24. 1 Cor. xi. 24.

[q] Matt. x. 33. Marc. viii. 38.

[r] Joan. iii. 5. Luc. xiv. 24.

[s] 2 Cor. vi. 1. 1 Thess. v. 19.

M. De visibilibus quidem signis, et externo Sacramentorum usu rationem intelligis; sed quod secundo loco vim atque efficaciam consignandi confirmandique in cordibus nostris promissiones divinas Sacramentis tribuis, videris officia Spiritus Sancti propria illis assignare.

A. [t]Mentes quidem atque animos humanos illustrare, atque illuminare, conscientias item tranquillas atque securas reddere, ut revera sunt, ita et censeri debent solius Spiritus Dei proprium opus, illique accepta referri, ne laus hæc alio transferatur. Verum hoc nihil obstat, quin mysteriis suis secundas partes in animis atque conscientiis nostris tranquillandis atque stabiliendis Deus tribuat; sed ita tamen, ut Spiritus sui virtuti nihil detrahatur. Quare statuamus oportet, externum elementum neque [u]ex seipso, neque in seipso vim atque efficacitatem Sacramenti inclusam habere, sed totam a Spiritu Dei, ut e fonte manare, et per Divina mysteria, quæ in hunc usum a Domino sunt instituta, ad nos derivari.

[t] Luc. xii. 12. Joan. i. 33. et vi. 63. et xiv. 17, 26. 1 Cor. xii. 4, 6 &c. Tit. iii. 5.

[u] Joan. i. 33. Act. i. 5. et x. 47.

M. Quot in Ecclesia sua Sacramenta instituit Dominus?

A. Duo.

M. Quæ?

A. [x]Baptismum, et sacram Cœnam; quorum communis est inter omnes fideles usus. Altero enim renascimur, altero sustentamur ad vitam æternam.

[x] Matt. xxvi. 26. et xxviii. 19. Joan. iii. 5. et vi. 35. Tit. iii. v.

M. De Baptismo ergo primum dic quid censeas.

A. Quum natura [y]Filii iræ, id est, alieni ab Ecclesia, quæ Dei familia est, simus, baptismus veluti [z]aditus quidam nobis est, per quem in eam admittimur; unde et testimonium etiam amplissimum accipimus, [a]in numero domesticorum, adeoque Filiorum Dei nos jam esse; imo in Christi [b]corpus quasi cooptari, atque inseri, ejusque membra fieri, et in unum cum ipso corpus coalescere.

y Eph. ii. 3.
z Matt. xxviii. 19. Marc xvi. 16. Joan. iii. 5. Tit. iii. 5.
a Rom. viii. 15, 16, 17. Eph. ii. 19.
b 1 Cor. vi. 15. et xii. 27. Gal. iii. 27. Eph. iv. 15, 16. et v. 30.

M. Sacramentum antea dicebas duabus constare partibus, signo externo, et arcana gratia. Quod est in Baptismo signum externum?

A. [c]Aqua, in quam baptizatus intingitur, vel ea aspergitur IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

c Matt. iii 16. et xxviii. 19. Joan. iii 5, 23. Act. viii. 36, 38.

M. Quæ est arcana et spiritualis gratia?

A. Ea duplex est; remissio [d]videlicet peccatorum, et regeneratio, quæ utraque in externo illo signo, solidam et expressam effigiem suam tenent.

d Marc. i. 4. Joan. iii. 5. Act. ii. 38. Tit. iii. 5.

M. Quomodo?

A. Primum, quemadmodum sordes corporis aqua, ita animæ [e]maculæ per remissionem peccatorum eluuntur; [f]deinde regenerationis initium, id est naturæ nostræ mortificatio, vel immersione in aquam, vel ejus aspersione exprimitur. Postremo vero, quum ab aqua, quam ad momentum subimus, statim emergimus, nova vita, quæ est regeneratonis nostræ pars altera, atque finis repræsentatur.

e Act. xxii. 17. Eph. v. 26. Tit. iii. 5, 6.
f Joan. iii. 5. Rom. vi. 3, 5. 6, 7, &c. Tit. iii. 5.

M. Videris aquam effigiem tantum quandam rerum Divinarum efficere.

A. [g]Effigies quidem est sed minime inanis, aut fallax; ut cui rerum ipsarum veritas adjuncta sit atque annexa. Nam sicuti Deus peccatorum condonationem, et vitæ novitatem nobis vere in baptismo offert, ita a nobis certo recipiuntur. [h]Absit enim ut Deum vanis nos imaginibus ludere atque frustrari putemus.

g Joan. iii. 5. Act. xxii. 16. Eph. v. 26. Tit. iii. 5.
h Joan. xiv. 6, 17. Rom. iii. 4. Heb. x. 23.

M. Non ergo remissionem peccatorum externa aquæ lavatione aut aspersione consequimur?

A. Minime: Nam solus Christus [i]sanguine suo animarum nostrarum maculas luit atque eluit. Hunc ergo honorem externo elemento tribuere nefas est. Verum Spiritus Sanctus [k]conscientias nostras sacro illo sanguine quasi aspergens, abstersis omnibus peccati sordibus, puros nos coram Deo reddit. Hujus vero peccatorum nostrorum expiationis obsignationem atque pignus in Sacramento habemus.

i Matt. xxvi. 28. Eph. i. 7. et v. 25. Col. i. 14, 20. Tit. iii. 5, 6. Apoc. i. 5.
k Joan. iii. 5. Rom. viii. 15, 16. Heb. ix. 14. et x. 22.

M. Regenerationem vero unde habemus?

A. Non aliunde quam a morte et resurrectione Christi; nam per mortis suæ vim vetus homo noster quodammodo crucifigitur et mortificatur, et naturæ nostræ vitiositas quasi sepelitur, ne amplius in nobis vivat et vigeat. Resurrectionis vero suæ beneficio nobis largitur, ut in novam vitam ad obediendum Dei justitiæ reformemur. [l] Rom. vi. 3, &c. toto.

M. An gratiam hanc omnes communiter et promiscue consequuntur?

A. [m] Soli fideles hunc fructum percipiunt: increduli vero oblatas illic a Deo promissiones respuendo, aditum sibi præcludentes, inanes abeunt, non tamen ideo efficiunt, ut suam Sacramenta vim et naturam amittant. [m] Marc. xvi. 16. Joan. i. 12. et iii. 16, 18.

M. Rectus ergo baptismi usus quibus in rebus sit situs, breviter edissere.

A. In Fide et Pœnitentia. [n] Primum enim Christi nos sanguine a cunctis purgatos sordibus Deo gratos esse, spiritumque ejus in nobis habitare certa fiducia cum animis nostris statutum habere oportet. Deinde in carne nostra [o] mortificanda, obediendoque justitiæ Divinæ, assidue omni ope et opera est enitendum, et pia vita apud omnes declarandum nos in Baptismo Christum ipsum quasi [p] induisse, et ejus spiritu donatos esse. [n] Matt. xxvi. 28 Marc. xvi. 16. Rom. viii. 9, 11, 15, 16, 17. Eph. i. 7. et v. 25, 26. Col i. 14, 20. [o] Rom. vi. 3, &c. 6, 11, &c. 13, 19. et viii. 13. Eph. iv. 24. Col. iii. 5. [p] Rom. xiii. 14. Gal. iii. 26, 27.

M. Quum infantes hæc quæ commemoras hactenus per ætatem præstare non possint, qui fit ut illi baptizentur?

A. Ut Fides et Pœnitentia baptismo præcedant, tantum in adultis, [q] qui per ætatem sunt utriusque capaces, exigitur; infantibus vero promissio [r] Ecclesiæ facta per Christum, in cujus Fide baptizantur, in præsens satis erit, deinde postquam adoleverint, Baptismi sui veritatem ipsos agnoscere, ejusque vim in animis eorum vigere, atque ipsorum vita et moribus repræsentari omnino oportet. [q] Marc. xvi. 16. Joan. iii. 16, 18. [r] Rom. iii. 3. et iv. 21, 22, 24. Heb. x. 23. [s] Matt. xxviii. 19.

M. Unde nobis constabit, infantes a baptismo arcendos non esse?

A. Quum Deus, [t] qui nunquam a veritate deflectit, neque a recta via usquam declinat, infantes [u] in Ecclesia Judaica a Circumcisione non excluserit, neque nostri infantes a Baptismo repellendi sunt. [t] Rom. iii. 4. et iv. 21. Heb. x. 23. [u] Gen. xvii. 10, 11, 12, &c. Luc. i. 59 et ii. 21. Act. vii. 8. Phil. iii. 5.

M. Itane similia ista, eandemque utrisque causam atque rationem subesse putas?

A. Omnino. Nam Circumcisionem Pœnitentiæ signum fuisse, ut Moses [x] et Prophetæ omnes testantur, ita divus [x] Deut. x. 16. et xxx. 6. Jer. iv. 4.

Paulus eam Fidei Sacramentum esse docet. Nihilo minus tamen pueri [y]Judaici, Fidei adhuc et Pœnitentiæ per ætatem minime capaces, circumcidebantur; quo aspectabili signo Deus patrem se parvulorum, et seminis populi sui esse, in veteri Testamento ostendebat. Quum vero constet Dei gratiam [z]et abundantius in nos effusam, et luculentius declaratam in Evangelio per Christum esse, quam olim in veteri Testamento per Mosen fucrat, indignum foret, si ea vel obscurior, vel aliqua ex parte imminuta videretur.

y Rom. ii. 28, 29. et iv. 11. Gen. xvii. 7, 10, 11, 12, &c.

z Act. ii. 17, 18. et x. 4, 5. 2 Cor. iii. 6, 7, 8, 9, &c. Gal. iii. 23, 24. Tit. iii. 5, 6.

M. Perge adhuc.

A. Cum infantes nostros vim, [a]et quasi substantiam Baptismi communem nobiscum habere certum sit, illis injuria fieret, si signum, quod veritate est inferius, ipsis negaretur; eoque, quod ad testandam Dei misericordiam, confirmandasque ejus promissiones plurimum valet, sublato, eximia consolatione, qua veteres fruebantur, Christiani fraudarentur; duriusque cum nostris parvulis in novo Testamento sub Christo ageretur, quam in veteri cum Judæorum infantibus sub Mose actum fuerat. Itaque æquissimum est, ut parvulis nostris, [b]Divinæ gratiæ atque salutis fidelium semini promissæ hæredes se esse, Baptismo, impresso quasi sigillo testatum fiat.

a Matt. xviii. 3, 4, 10. et xix. 14. Luc. xviii 15, 16, 17. Rom. iv. 16, 23, 24. 1 Pet. ii. 2.

b Rom. iv. 16, 23, 24.

M. Ecquid est amplius, quod de hac re velis dicere?

A. [c]Quum Christus Dominus infantes ad se vocet, edicat etiam ne quis eos accessu prohibeat, ad se venientes amplectatur, ad eos regnum cœleste pertinere testetur; quos cœlesti palatio Deus dignatur, eos ab hominibus primo aditu vestibuloque prohiberi, et a Christiana Repub. quodammodo excludi, summa videtur esse iniquitas.

c Matt. xviii. 3, 4, 10. et xix. 14. Marc. x. 13, 14, 15.

M. Ita est; verum quum antea parvulos postquam adoleverint, Baptismi sui veritatem agnoscere debere dixeris, de eo te velim paulo explicatius nunc dicere.

A. Parentes et Pædagogi pueros olim cum primum per ætatem sapere, et intelligere cœpissent, primis Christianæ religionis rudimentis diligenter instituebant, ut pietatem una pene cum lacte nutricis imbiberent, et a primis statim cunis, virtutis incunabulis ad vitam illam beatam alerentur. Quem etiam ad usum breves libri, quos Catechismos nostri appellant, conscribebantur; in quibus eadem fere ista, de quibus nunc inter nos agitur, aut istis certe similia tractabantur. Postquam vero primis nostræ pietatis elementis pueri satis jam initiati videbantur, eos Episcopo sistebant atque offerebant.

M. Quorsum nam istuc?

A. Ut idem hoc ipsum pueri post Baptismum præstarent, quod adulti olim, qui et Catechumeni appellabantur, ante Baptismum, vel in ipso potius Baptismo præstare sunt soliti. Episcopus enim rationem Religionis a pueris exquirebat; pueri Fidei suæ rationem Episcopo reddebant; quos vero in Religionis scientia progressus jam satis magnos fecisse Episcopus putabat, eos approbabat; et imposita illis manu, bene precatus dimittebat. Hanc Episcopi approbationem benedictionemque, nostri Confirmationem appellant.

M. At alia nuper usitata erat Confirmationis ratio.

A. In locum hujus utilissimæ et antiquissimæ Confirmationis suum commentum supposuerant, ut Episcopi videlicet non de pueris, an religionis præceptis imbuti essent, cognoscerent, sed ut infantes adhuc fari nescios, nedum ad rationem Fidei reddendum idoneos, oleo ungerent; additis aliis etiam cæremoniis sacræ Scripturæ et veteri Ecclesiæ incognitis. Hoc suum inventum Sacramentum esse voluerunt, et dignitate cum Baptismo tantum non exæquabant, prætulerunt etiam illi eorum aliqui. Omnino voluerunt Confirmationem hanc suam Baptismi quasi supplementum quoddam esse, ut ea absolveretur, atque ad exitum perduceretur; quasi alioqui imperfectus esset Baptismus, puerique, qui Christum cum suis donis in Baptismo jam induissent, sine ea semichristiani essent; qua injuria Divino Sacramento, Deoque adeo ipsi, ac Christo servatori sacri Baptismi authori, nulla major fieri unquam potuit.

M. Optandum ergo, ut vetus ille inquirendi in pueros mos atque ratio revocaretur.

A. Maxime; sic enim Parentes cogerentur ad satisfaciendum suo in liberis pie instituendis officio, quod hodie plerique plane prætermittunt atque repudiant; quas officii sui partes si vel Parentes, vel Præceptores hodie susciperent, præstarent atque persolverent, mirus esset Religionis Fideique Christianæ consensus atque concentus, qui nunc miserandum in modum divulsus est; certe non sic aut ignorantiæ tenebris offusa, obductaque jacerent, aut variarum dissidentiumque opinionum dissentionibus disturbarentur, dissolverentur, atque dissiparentur universa, ita ut hodie fieri videmus; de quo miserabili casu, omnibus bonis maxime dolendum est.

M. Verissimum quidem est, quod dicis. Jam, quæ Cœnæ Dominicæ sit ratio, edissere. Cœna Dominica.

A. Eadem nimirum, [d]quam Christus Dominus instituit; qui ea, qua traditus est nocte, ACCEPIT PANEM, ET POSTQUAM GRATIAS EGISSET, FREGIT, ET DEDIT DISCIPULIS SUIS, DICENS; ACCIPITE, ET EDITE; HOC EST CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS FRANGITUR; HOC FACITE IN MEI COMMEMORATIONEM. AD EUNDEM MODUM ET POCULUM, PERACTA CŒNA, ACCEPIT, ET QUUM GRATIAS EGISSET, DEDIT EIS DICENS; BIBITE EX HOC OMNES; HIC EST ENIM SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI, QUI PRO VOBIS, ET PRO MULTIS EFFUNDITUR IN REMISSIONEM PECCATORUM: HOC FACITE, QUOTIESCUNQUE BIBERITIS, IN MEI COMMEMORATIONEM. QUOTIESCUNQUE ENIM COMEDERITIS HUNC PANEM, ET DE POCULO BIBERITIS, MORTEM DOMINI ANNUNCIABITIS, DONEC VENERIT. Hæc est Cœnæ Dominicæ forma atque ratio, quam quoad ipse venerit, tenere et sancte observare oportet.

[d] 1 Cor. xi. 23, 24, &c. Matt. xxvi. 26. Marc. xiv. 22, &c. Luc. xxii. 19, &c.

M. In quem usum?

A. [e]Ut mortis Domini, summique beneficii illius, quo per eam affecti sumus, gratam perpetuo memoriam celebremus et retineamus; et sicuti in Baptismo semel renati sumus, ita Cœna Dominica ad vitam spiritualem atque sempiternam jugiter alamur, atque sustentemur.

[e] Luc. xxii. 19. 1 Cor. xi. 24, 26.

M. Baptismo ergo semel tantum initiari, ut et semel nasci, satis esse dicis; at Cœnæ Dominicæ perinde atque alimenti usum, identidem esse repetendum affirmas.

A. Sane, Præceptor.

M. Duasne etiam in hoc Sacramento, ut in Baptismo, partes esse dicis?

A. Ita. Panem nempe, [f]et vinum, externa signa, quæ oculis cernuntur, attrectantur manibus, gustu percipiuntur; et [g]Christum ipsum, quo animæ nostræ, ut proprio alimento interius nutriuntur.

[f] Matt. xxvi. 26, 27, 29. Luc. xxii. 19. 1 Cor. xi. 23, 24, 25, 26, 27, 28.

[g] Joan. vi. 35, 48, 50, 51, 53, &c.

M. Et omnes peræque utraque Sacramenti parte uti debere dicis?

A. Certe, Præceptor; nam cum Dominus ita diserte [h]præceperit, de ejus mandato ulla ex parte derogare summum esset nefas.

[h] Matt. xxvi. 27. Marc. xiv. 23.

M. Cur duo signa adhiberi hic Dominus voluit?

A. Primum, quo mortis suæ, quam lacero corpore, [i]et perfosso latere, ac toto sanguine effuso perpessus est, expressior esset imago; et ut ejus memoria animis nostris infixa, altius hæreret, utriusque corporis pariter atque sanguinis signum separatim exhibuit. Deinde, ut infirmitati nostræ

[i] Joan. xix. 34.

consulcret Dominus, atque mederetur, manifesteque declararet, [k]sicuti panis ad corpora nutrienda, ita et corpus suum ad animas nostras spiritualiter alendas, vim atque efficacitatem summam habere; et sicut vino hominum corda exhilarantur, et roborantur vires, ita sanguine suo animas nostras refici atque recreari; ut non [l]cibum modo se, sed et potum etiam nostrum esse, certo statuentes, nusquam, nisi in ipso solo nutrimenti spiritualis, atque sempiternæ vitæ partem ullam quæramus.

[k] Joan. vi. 50, 55, 56.

[l] Joan. vi. 35, 53, 54, 55, &c.

M. Beneficiorum ergo, quæ commemorasti, non imago tantum, sed et ipsa veritas in Cœna exhibetur?

A. Quid ni? Quum enim Christus ipsa sit [m]veritas, non dubium est, quin quod verbis testatur, et signis repræsentat, id revera etiam præstet, et nobis exhibeat; quodque sibi fidentes [n]tam certo faciat corporis atque sanguinis sui participes, quam certo se panem atque vinum ore et ventriculo recepisse sciunt.

[m] Joan. i. 17. et xiv. 6.

[n] Joan. vi. 54, 55, 64.

M. Quum nos in terris versemur, Christi vero corpus in cœlo sit, quomodo fieri potest, quod dicis?

A. Mentes atque animos humo excitare, [o]et in cœlum, ubi Christus est, per Fidem erigere debemus.

[o] Joan. vi. 62, 64. Col. iii. 1. Heb. iv. 14, 16.

M. Recipiendi ergo corporis et sanguinis Dominici rationem, Fide constare dicis?

A. Sane. Nam quum mortuum Christum [p]credimus, quo nos a morte liberaret; excitatum item, quo nobis vitam acquireret; redemptionis per mortem suam partæ, ac vitæ, omniumque adeo suorum bonorum participes nos habet, eaque conjunctione, qua caput et [q]sua membra inter se cohærent, arcana, mirificaque Spiritus sui virtute sibi copulat; ita ut nos corporis sui membra, et ex ejus carne atque ossibus simus, et in unum cum ipso corpus coalescamus.

[p] Joan. vi. 35. Act. iv. 10, 12. Rom. iv. 24, 25. et v. 8. et xiv. 9.

[q] 1 Cor. vi. 15. et xii. 27. Eph. iv. 15, 16. et v. 30.

M. An ergo ut ista conjunctio efficiatur, panem et vinum in substantiam carnis et sanguinis Christi mutari imaginaris?

A. Nihil opus est hujusmodi mutationem comminisci. Nam et sacræ literæ, et optimi atque antiquissimi etiam Interpretes docent per Baptismum [r]itidem membra nos corporis Christi, et ex ejus carne atque ossibus esse, et in unum cum ipso corpus coalescere; eum nulla interim mutatio ejusmodi in aqua ipsa efficiatur.

[r] Rom. vi. 3. 1 Cor. xii. 13. Eph. iv. 15, 16. et v. 30. Gal. iii. 27.

M. Perge.

A. In utroque Sacramento, rerum externarum naturis

non mutatis, sed accedente [s]Divino verbo, gratiaque cœlesti, ea est efficientia ut sicuti per Baptismum semel [t]regeneramur in Christo, et in ejus corpus primum quasi cooptamur et inserimur; ita Cœnam Dominicam [u]rite percipientes, corporis et sanguinis sui nutrimento plane Divino, et salutis atque immortalitatis plenissimo, Spiritus sancti opera nobis communicato, a nobis vero Fide, quasi animæ nostræ ore, excepto, ad æternam [x]vitam jugiter alamur atque sustentemur; utrobique in unum cum Christo corpus coalescentes.

[s] Eph. v. 26. Gal. iii. 27. Tit. iii. 5.
[t] Joan. iii. 5. Tit. iii. 5.
[u] Joan. vi. 35, 51, 54, 55. 1 Cor. xi. 28, 29.
[x] Joan. vi. 51, 54, &c.

M. Aliter ergo etiam quam per solam Cœnam sese nobis Christus exhibet, arctissimaque nos conjunctione sibi copulat.

A. Christus tum se nobis authorem salutis in primis exhibuit, quum morti [y]sese pro nobis objecit, ne nos merita morte periremus. Per [z]Evangelium item sese fidelibus exhibet, et clare docet, se panem esse illum vivum, qui de cœlo ad nutriendas sibi fidentium animas descendit. Sed et [a]in Baptismo, ut ante est explicatum, Christus se nobis efficienter exhibuit, quod nos tunc Christianos effecerit.

[y] Rom. iv. 25. et v. 8. 1 Cor. xv. 3. 2 Cor. v. 14, 15, 21.
[z] Marc. xvi. 15, 16. Joan. vi. 35, 47, 48, 58. Rom. i. 16. 1 Cor. xv. 1. 2 Cor. iv. 4.
[a] Marc. xvi. 16. Rom. vi. 3, &c. 1 Cor. xii. 13. Gal. iii. 26, 27.

M. Neque minus arcta conjunctionis vincula in Cœna esse dicis?

A. In Cœna vero Dominica et illa, quam dixi, communicatio nobis confirmatur [b]et augetur, etiam, dum quisque eam ad se pertinere, et peculiari quadam ratione sibi Christum exhiberi, ut eo quam plenissime, conjunctissimeque perfruatur, tum verbis, tum mysteriis divinis certior fit; ut non animæ solum nostræ, [c]ejus sacro corpore atque sanguine tanquam proprio suo alimento nutriantur; sed et corporibus etiam nostris, quod vitæ æternæ symbolis communicent, quasi dato pignore, resurrectionis atque immortalitatis certa spes confirmetur; quo tandem Christo [d]habitante in nobis, et nobis vicissim in Christo manentibus, non modo vitam æternam, sed et gloriam, quam ipsi dedit Pater, nos etiam per Christum in nobis manentem consequamur. Summa illa sit; sicuti non crassam aliquam conjunctionem imaginor, ita arcanam et mirificam illam corporis Christi in Cœna communicationem arctissimam, certissimam, verissimam, et plane summam esse statuo.

[b] Matt. xxvi. 26. 1 Cor. x. 16. et xi. 24.
[c] Joan. vi. 51, 53, 54, &c.
[d] Joan. vi. 54, 56, 57. et xvii. 22.

M. Ex iis quæ jam de Cœna Dominica commemorasti, videor mihi colligere, eam non in hunc finem institutam esse, ut Christi corpus Deo Patri pro peccatis in sacrificium offeratur.

A. Minime vero ita offertur; nam ipse, ut corpore suo

[e]vescamur, non ut illud offeramus, cum Cœnam suam instituret, præcepit. [f]Offerendi vero pro peccatis prærogativa ad solum Christum, ut qui æternus ille sit sacerdos, pertinet, qui et unicum illud perpetuumque sacrificium, moriens in cruce pro salute nostra semel fecit, illique abunde in omne tempus satisfecit. Nobis vero nihil restat, nisi ut æterni illius sacrificii usumfructum, nobis ab ipso Domino legatum gratis animis capiamus; quod quidem in Cœna Dominica maxime facimus.

[e] Matt. xxvi. 26. 1 Cor. xi. 24, &c.
[f] Heb. v. 6.

M. Sacra igitur Cœna, ut video, ad mortem Christi, ejusque in cruce perpetratum semel sacrificium, quo solo placatus nobis Deus efficitur, nos remittit.

A. Planissime; nam panis et vini symbolis nobis confirmatur Christi corpus, [g]ut semel pro nobis, ad nos cum Deo in gratiam reconciliandos, hostia immolata fuit, sanguis ejus semel ad eluendas peccatorum nostrorum maculas effusus; ita nunc quoque Fidelibus in sacra ejus Cœna [h]utrumque exhiberi; ut reconciliationem gratiæ ad nos pertinere certo sciamus, fructumque redemptionis per mortem ejus partæ capiamus atque percipiamus.

[g] Rom. v. 8. et vi. 10. 1 Cor. xv. 3. 2 Cor. v. 14, 15. 1 Pet. iii. 18.
[h] Matt. xxvi. 26, 27, 28. Luc. xxii. 19. 1 Cor. xi. 24, 25, 26.

M. An ergo soli fideles corpore et sanguine Christi pascuntur?

A. Soli omnino; cum quibus enim corpus suum, [i]cum iisdem et vitam æternam, ut dixi, communicat.

[i] Joan. vi. 52, 53, 54, 56, 57, &c.

M. Quamobrem corpus et sanguinem Christi in pane et calice includi, aut panem et vinum in substantiam corporis et sanguinis ejus mutari non fateris?

A. Quia illud esset [k]veritatem corporis Christi in dubium vocare; Christum ipsum contumelia afficere; eos etiam qui Sacramentum recipiunt, horrore perfundere, si vel corpus ejus tam angusto loco includi, [l]aut in multis simul locis esse, [m]vel carnem ejus in ore dentibus mandi, et perinde atque alium cibum, extenuari, atque manducari imaginaremur.

[k] Luc. xxiv. 39. Joan. xx. 25, 27.
[l] Matt. xxviii. 6. Luc. xxiv. 6. Joan. xii. 28. et xvi. 28.
[m] Joan. vi. 52, 60, 61.

M. Cur ergo exitialis est impiis Sacramenti communicatio, si hujusmodi mutatio non fiat?

A. Quia ad Sancta et Divina mysteria[n] per hypocrisin et simulationem accedunt, eaque impie cum Domini ipsius, qui ea instituit, summa injuria contumeliaque profanant.

[n] 1 Cor. xi. 27, 28, 29, &c.

M. Nostrum igitur quid sit officium, ut recte ad Cœnam Dominicam accedamus, edissere.

A. Illud ipsum quod Sacris Scripturis docemur; ut

videlicet nos ipsos [o]exploremus, num vera simus Christi membra.

M. Quibus id notis atque indiciis manifeste deprehendemus?

A. Primum, si [p]ex animo nos pœniteat peccatorum nostrorum, quæ Christum [q]ad mortem, cujus nunc mysteria nobis traduntur, adegerunt: deinde si [r]certa spe de Dei per Christum misericordia nos sustineamus, atque nitamur, cum grata redemptionis per mortem ejus acquisitæ [s]memoria: præterea, si de vita [t]in futurum pie degenda seriam cogitationem et destinatum propositum suscipiamus: postremo, cum conjunctionis etiam, charitatisque inter homines mutuæ [u]Symbolum in Cœna Dominica contineatur, si [x]proximos, id est mortales omnes, fraterno amore, sine ulla malevolentia odiove, prosequamur.

M. An quisquam ista quæ commemoras, omnia plene perfecteque præstare potest?

A. Absolutio omnibus numeris perfecta, in qua nihil desideretur, [y]in homine, quoad hunc mundum incolit, inveniri non potest; neque tamen imperfectio, qua laboramus, nos ab accessu ad Cœnam Dominicam, quam imperfectionis nostræ atque imbecillitatis subsidium esse Dominus voluit, arcere debet; imo si perfecti essemus, nullum inter nos amplius usum Cœna jam haberet. Huc tamen quæ dixi spectant, ut [z]Pœnitentiam quisque [a]Fidemque atque [b]Charitatem, quoad ejus fieri potest, synceram et sine fuco, ad Cœnam accedens secum adferat.

M. Verum quum antea dicebas, ad Fidei confirmationem valere Sacramenta, quomodo jam Fidem ad ea adferendam esse dicis?

A. Minime ista pugnant; [c]Fidem enim in nobis inchoatam esse oportet; ad quam alendam et roborandam Dominus Sacramenta instituit, quæ ad [d]confirmandas et quasi obsignandas in cordibus nostris Dei promissiones, permagna momenta adferunt.

M. Superest adhuc ut dicas, ad quos proprie Sacramentorum pertineat administratio.

A. Quum pascendi verbo Dei gregis Dominici, [e]Sacramentaque administrandi officia atque munera sint inter se junctissima, non est dubium, quin eorum administratio ad eos pertineat proprie quibus publice docendi munus est deman-

[o] 1 Cor. xi. 26, 27, 29, &c.

[p] Jer. xxiv. 7. et xxix. 13. Joel. ii. 12, 13. 16, 17.
[q] Esai. liii. toto. Rom. iv. 25. 1 Pet. ii. 24.
[r] Luc. xv. 7. et xviii. 13. Rom. v. 5, 8, 9. 1 Tim. i. 14, 15, 16.
[s] Luc. xxii. 19. 1 Cor. xi. 24, 25, 26.
[t] 1 Pet. ii. 24. et iv. 1, 2, 3. 2 Pet. ii. 20, 21, &c. Tit. ii. 11, 12, 13, 14.
[u] 1 Cor. x. 17.
[x] Matt. xxii. 39. Luc. x. 27. Rom. xiii. toto.

[y] Matt. xix. 21. Rom. vii. 18. 1 Cor. xiii. 9, 10, 12. Phil. iii. 12, 13.

[z] Jer. xxiv. 7. et xxix. 13. Joel. ii. 12, 13.
[a] Gal. v. 6. Col. i. 4, 23. et ii. 5. 1 Tim. i. 5. 2 Tim. i. 5.
[b] Matt. xxii. 39. Rom. xiii. toto. 2 Cor. vi. 6.
[c] Rom. i. 17. 1 Thess. iii. 10. 2 Thess. i. 3. Heb. vi. 1.
[d] Act. ii. 42. Rom. iv. 11. et xv. 8. et vi. 4. Gal. iii. 27. Eph. ii. 11, 12. et iv. 5. Col. ii. 11, 12. 1 Pet. iii. 21.
[e] Matt. xxviii. 19. Marc. xvi. 15. Act. ii. 38, 41. et viii. 12, 35, 36, 37.

datum. Nam ut in Cœna Dominus [f]ipse publici ministri officio fungens, exemplum suum ad imitandum proposuit; ita baptizandi pariter atque docendi munus Apostolis suis peculiariter delegavit.

[f] Matt. xxvi. Marc. xiv. Luc. xxii. 1 Cor. xi.

M. Suntne promiscue omnes nullo discrimine ad Sacramenta a Pastoribus admittendi?

A. Olim cum adulti, [g]et natu grandiores ad Religionem nostram accederent, ne ad Baptismum quidem admittebantur, nisi prius de eorum Fide in præcipuis Christianæ Religionis articulis constaret. Nunc quia soli infantes baptizantur, nullus potest adhiberi delectus. Diversa est de Cœna ratio; ad quam cum non nisi adulta jam ætate accedant, si quem indignum esse palam constiterit, is ad Cœnam a pastore minime est admittendus, quia sine Sacramenti id profanatione fieri non potest.

[g] Marc. xvi. 15, 16. Act. ii. 41. et viii. 12, 37. et xviii. 8.

M. Cur Dominus igitur Judam [h]proditorem a Cœnæ suæ communione non arcebat?

[h] Matt xxvi. 21, 22, &c. Marc. xiv. 18, 19, &c. Joan. xiii. 26, 27, &c.

A. Quia ejus impietas, utut erat Domino cognita, nondum erat palam nota.

M. Hypocritas ergo Ministri arcere non possunt?

A. [i]Non, quoad occulta eorum nequitia fuerit.

[i] 1 Cor. v. 2.

M. Quum ergo Sacramentis boni pariter ac mali promiscue et communiter utantur, quæ potest in illis certa esse atque stabilis conscientiarum fiducia, quod tu paulo antea affirmabas?

A. Quamvis [k]impii, quantum ad ipsos spectat, Dei dona in Sacramentis oblata non recipiant, sed respuant, et seipsos frustrentur; [l]pii tamen, qui per Fidem Christum in illis ejusque gratiam quærunt, optima mentis conscientia et consolatione gratissima, ex salutis atque solidæ fœlicitatis certa spe, nunquam destituuntur, aut fraudantur.

[k] Joan. xiii. 26, 27. Rom. iii. 3, 4. 1 Cor. x. 21, 22.

[l] 1 Cor. x. 16. et xi. 29, 31.

M. At si quos Pastor indignos esse vel ipse cognoverit, vel clam admonitus fuerit, eos certe a communione licebit excludere?

A. Tales et concionibus publicis, modo ne nominatim eos proferat, aut infamiam illis maculamve inurat, sed suæ tantum conscientiæ suspicione, et conjectura eos perstringat atque coarguat, et admonere debet, et privatim graviter etiam deterrere potest; arcere vero a communione, nisi legitima Ecclesiæ cognitio, judiciumque intercesserit, non licebit.

M. Quod ergo remedium huic malo inveniendum est atque adhibendum?

A. In Ecclesiis bene institutis atque moratis, certa, ut [m]antea dixi, ratio atque ordo gubernationis instituebatur atque observabatur. Deligebantur seniores, id est Magistratus Ecclesiastici, qui disciplinam ecclesiasticam tenerent, atque colerent. Ad hos authoritas, animadversio, atque castigatio censoria pertinebant; [n]hi adhibito etiam Pastore, si quos esse cognoverant, qui vel opinionibus falsis, vel turbulentis erroribus, vel anilibus superstitionibus, vel vita vitiosa flagitiosaque magnam publice offensionem Ecclesiæ Dei adferrent, quique sine Cœnæ Dominicæ profanatione accedere non possent, eos a communione repellebant, atque rejiciebant, neque rursum admittebant, donec Pœnitentia publica Ecclesiæ satisfecissent.

[m] Matt. xviii. 15, 16, 17. Act. xiv. 23. et xv. 4, 6, 22, 24. et xx. 17, 28. 1 Cor. vi. 1, 2. et xii. 28. et xiv. 26, 40. 1 Tim. v. 17. Tit. i. 5.

[n] 1 Cor. v. 1, 4, 5. et xi. 16, 18, &c.

M. Quis debet esse Pœnitentiæ publicæ modus?

A. Qui falsarum opinionum commentis, pietatem veram [o]lædere, et Religionem labefactare conantur; aut vitiosa atque flagitiosa vita graves et publicas offensiones concitarunt, eos æquum est, Ecclesiæ, cui ita facta est offensio, [p]publice satisfacere, id est, suum coram tota congregatione peccatum ingenue agnoscere et confiteri, palamque testari, sibi ex animo dolere, quod Deum Opt. Max. tam graviter offenderint; Religionem Christianam quam sunt professi; Ecclesiam in qua censebantur, quantum in ipsis quidem fuerat, ignominia affecerint; quodque non peccato solum, sed pernicioso etiam exemplo aliis nocuerint; a Deo primum, deinde ab ejus Ecclesia veniam se petere atque precari.

[o] 1 Cor. x. 32. Tit. iii. 10, 11. 1 Thess. v. 14. 2 Thess. iii. 14, 15.

[p] 2 Cor. ii. 6. et vii. 9, 10.

M. Quid deinde fiet?

A. Postremo, ut in Ecclesiam, e qua suo merito ejecti sunt, et ad sancta ejus mysteria rursum admittantur, suppliciter postulare, atque orare debent. In summa, [q]eam adhiberi in pœnitentia publica moderationem oportet, ut neque severitate nimia, qui peccavit, animum despondeat; neque rursum facilitate nimia Ecclesiæ disciplina labatur, atque ejus imminuatur authoritas, cæterique ad similia audenda animentur atque incitentur. Sed ubi seniorum, [r]pastorisque judicio, et ejus, qui peccavit, castigationi, et exemplo aliorum satisfactum fuerit, rursum ad communionem Ecclesiæ, qui erat excommunicatus admittebatur.

[q] 2 Cor. ii. 6, 7, 8, 11.

[r] 2 Cor. ii. 6, 10.

M. Video te, Fili mi, Christianæ pietatis summam exacte tenere. Superest ut ad hanc cognitionis piæ regulam, vitam tuam ita dirigas, ne frustra ista didicisse videaris. Non enim qui audiunt [s]tantum, intelliguntque verbum Dei, sed qui

[s] Matt. vii. 21. et xii. 50. Luc. xi. 28. Rom. ii. 13. Jacob. i. 22, 23, 24, &c.

Dei voluntati obsequuntur, atque imperio ejus obtemperant, beati erunt. Imo servus ille, qui Domini voluntatem noverit, neque obsecundarit, [t]gravius vapulabit; adeo nihil prodest pietatis, Religionisque veræ intelligentia, nisi vitæ etiam integritas, innocentia, atque sanctitas accedant. Age igitur, mi Fili, omni cura et cogitatione in hoc incumbe, ut ne in officio labaris, aut ab hac piæ vitæ norma, atque præscriptione unquam aberres.

[t] Luc. xii. 47. Jacob. iv. 17.

A. Dabo operam, venerande Præceptor, et nihil prætermittam, quantum quidem facere, et omni ope atque opera eniti possum, quo professioni nominique Christiano respondeam. Sed et a Deo optimo maximo supplex precibus et votis omnibus semper exposcam, ne cœlestis doctrinæ suæ semen, in animo meo quasi arido [u]sterilique solo exceptum perire sinat; sed gratiæ suæ [x]Divino rore cordis mei siccitatem sterilitatemque ita irriget atque fœcundet, ut uberes pietatis fructus feram, in regni cœlestis [y]horreum et cellam condendos, atque reponendos.

[u] Matt. xiii. 4, 5, 6, 7, 19, 20, 21, 22.
[x] Psal. i. 3. et civ. 13. Matt. xiii. 8, 23. 1 Cor. iii. 6, 7.
[y] Matt. iii. 12. Luc. iii. 17.

M. Ita facito, mi Fili, neque dubita, quin uti hanc mentem voluntatemque [z]Deo duce suscepisti, ita studii hujus tui, conatusque pii eventum et exitum, quem optas atque expectas, id est, optimum, fœlicissimumque reperturus sis, atque habiturus.

[z] 2 Cor. iii. 5. Phil. ii. 12, 13.

VOCABULA NOSTRATIA,

ET

LOQUENDI FORMÆ CHRISTIANORUM PROPRIÆ,

IN QUIBUS

A COMMUNI MORE VERBORUM LATINORUM

DISCESSUM EST,

EX LITERARUM ORDINE SEQUUNTUR.

A

Angelus, Græca vox; Latine, nuntius, internuntius, legatus, index.

Angeli, id est, spiritus, vel mentes cœlestes; nostrum; veteres Græci Dæmonas, Latini genios, vel lares appellarunt.

Animalis homo; vide *Caro.*

Apostolus, Græc. Latine, legatus.

B

Benedicere; vide *Maledicere.*

C

Cœlum, in singulari numero, potius quam in plurali cœlos usurpare solet Cicero.

Caput, pro præcipua parte, membra, pro aliis partibus rei alicujus, ut et corpus, pro universitate aut societate populi usurpant Cicero et Livius; ut, totum corpus reipub. curare, unum corpus reipub. esse, civitatis corpus, unum corpus conciliumque totius Peloponnesi. Cicero. Cur non et ecclesiæ corpus, id est, piorum universitas, vel Respub. Christiana? Unius corporis esse, id est societatis. Livius. Christus ecclesiæ caput, nos ecclesiæ membra; Latinitas in his ferenda. At corpus Christi, pro Ecclesia, et piorum universitate; et nos membra Christi, aut membra corporis Christi, locutiones nostræ propriæ sunt.

Caro, pro genere humano; ut, omnis caro fœnum; nostrum.

Caro item pro vitiosa et corrupta natura; et carnalis vel animalis, vel vetus homo, pro tali natura prædito; carnem, membra terrestria mortificare, carnem crucifigere, veterem hominem deponere, exuere, crucifigere, expurgare vetus fermentum; nostra sunt propria. Et contra, spiritus, spiritualis, vel spiritalis, novitas spiritus, novus homo, nova creatura, renovari spiritu, ambulare secundum spiritum, nova conspersio, novum hominem induere, regenerari, regeneratio, regeneratus, renatus, apud nostrates usurpantur, quum naturæ vitiosæ reparationem,

vel renovationem, aut hominem divina virtute, mente, vel divino consilio præditum, divino spiritu vel numine afflatum, aut instinctum cœlesti vel divino afflatu, inflatu, vel instinctu motum, vel actum, et vera pietate divinitus imbutum, significamus. Gratia Dei pro divino afflatu, instinctu, vel virtute; nostrum.

Catechismus, vel potius Catechesis, Græc. Latine, prima institutio; ut et Catechumeni, Catechizatio; nostratia.

Catholica; vide *Ecclesia.*

Certitudo, et incertitudo, vide *Credo.*

Claves, claudere, recludere, cœlumque ligare, solvere peccata, vel peccatores; metaphoræ nostræ; ut sunt etiam retinere, vel detinere peccata, pro, condonare; nostratia.

Concupiscentia, i. e. rerum malarum appetitus, vel appetitio; nostrum.

Contritio, vide *Pœnitentia.*

Corpus Christi, pro Ecclesia, et piorum universitate; nostrum. Vide *Caput.*

Credo, cum accusativo, et præpositione; nostrum; ut credere in Deum, i. e. Deum vere agnoscere, illi fidem habere, illi confidere, spem et fiduciam omnem in illo collocare; nam hæc omnia simul complectitur. Credo item, cum solo accusativo, ut Credo resurrectionem mortuorum, et vitam æternam, id est, certo expecto, vel spero; nostra sunt. Fides item cum non solum Dei cognitionem, et credulitatem, sed et fiduciam quoque in Deo significat, et fidelis pro tali fide prædito; et contraria, infidelitas, infidelis; nostra sunt propria. Propius accedunt ad latinitatem hoc sensu, diffidens, diffidentia, incredulus, incredulitas; sic suspensus, incertus, dubius, obscura spe pendens, pro infideli; Latina sunt. Certitudo et incertitudo, parum usitata Latinis. Fiducia, Fidentia, firma animi confisio; Ciceroniana sunt; verum ea fidem nostram plene non explicant, sed ejus duntaxat partem significant. Credo, fido, et spero, sæpe in nostra religione finitimæ sunt significationis, quam his fere formis Latini exprimunt. Est mihi fiducia, est firma animi confisio in Deo. Est mihi stabilis Divinæ per Christum benevolentiæ fiducia. Spes omnis residet, spem omnem colloco in Deo, in Christo. Spem certam concipio, sustineo me, et nitor spe veniæ, immortalitatis, vitæ sempiternæ, &c.

Creo, creatio, creator, conditor, effector, fabricator; Ciceroniana sunt. Creatura Latinis inauditum. Ex argilla, lutoque fictus homo. Hominem humo excitatum, celsum et erectum constituit. Hominem generavit, et exornavit Deus. Animum ex sua mente et divinitate genuit Deus. Deus parens hujus universitatis. Lucem qua fruimur, spiritum quem ducimus, commoda quibus utimur, a Deo nobis dari videmus; modi loquendi sunt apud Cic.

Crucifigo, crucifixus. Quintil. Plin. Suetonii sunt, non Ciceronis. Passio Christi, pro ejus supplicio, cruciatu, et morte; sic passus absolute, sine alia voce adjuncta; nostratia sunt. Multa gravia, horrenda passus; Latin. De Christo crucifixo, aut passo, sic Latine dici potest; Christus in crucem sublatus, vel actus, crucifixus, cruce affectus, innocens pro nocentibus pœnas luit; alieni peccati pœnas sustinuit, pertulit, persolvit; supplicium pro nobis pertulit; supplicio, cruciatu, cruce, morte affectus est, pro peccatis nostris pœnas pendit, dependit, tulit.

D

Dæmones Græce, lares Cicer. Ethnici in bonam partem accipiunt.

Dæmones; id est, mentes, vel spiritus impii et malitiosi; nostrum.

Deitas; nostrum; Divinitas, Numen divinum; Cicer.

Diabolus Græc. Adversarius, Budæo; Calumniator, Erasmo; deceptor, delator.

Dilectio, pro *amore,* vix audita Latinis.

E

Ecclesia, Græcum; Latin. congregatio. Ecclesia catholica; Latine, universa congregatio, universitas piorum hominum; universitas legitur lib. ad Herennium. Respub. Christiana, vel Christianorum.

Electi Dei, substantive, pro, electi a Deo; nostrum. Sic prædestinari, prædestinatio, prædestinatus, præscientia, præscitus, verba sunt nobis peculiaria. Cicero. Deus non ignorat ea, quæ ab ipso constituta et designata sunt; id est, Deus præscit prædestinata, ut nos loquimur. Præscisse oportuit. Terent.

Effectus, substantive, Plin. Propertii, non Cic.

Effectio, eventus, eventum, et eventa in plur. Cic.

Essentia, et substantia, Plauti, Quintiliani, Plinii, non Ciceronis.

Ethnici, Græc. Gentiles, Gentes, pro alienigenis, impiis, idololatris, aliis quam Christianis, aut Judæis; nostræ voces sunt.

Evangelium Græc. Latine bonum nuntium; apud nos sacras Novi Testamenti historias, et scripturas significat.

Evangelista, scriptor Evangelii, quales fuerunt illi quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes; vel qui de Evangelio concionatur apud populum; nostrum.

Excommunicare, pro, Ecclesia ejicere, expellere, vel arcere; nostrum. Sic Excommunicatio, pro expulsione vel ejectione.

F

Fides, vide *Credo.*

G

Gentiles, vide *Ethnicus.*

Glorificare, vide *Sanctificare.*

Gratitudo, Latinis hominibus inaudita; Ingratitudo, inusitata; Gratus et Ingratus, Latina sunt.

H

Hypocrisis Græc. Latine, simulatio, alienæ personæ simulatio; hypocrita, simulator alienæ personæ.

I

Jesus, Hebraice; Latine, servator.

Idolum, idololatra, idololatria, Græc. Lat. simulachrum, simulachrorum cultor, et cultus. Idololatria latius apud nos patet, omnem Divinum cultum cuiquam, præterquam soli Deo, habitum significans.

Imperfectio, et increatus, Latinis inusitata sunt.

Inferna absolute sine substantivo addito; nostrum; ut Descendit ad inferna; ad inferos Latine.

Infidelis, infidelitas; vide *Credo.*

Inobedientia, inobediens; nostra. Inobsequens; Senec. in Hippol. Minus obsequens, minus obediens, Lat.

Invisibilis, vide *Visibilis.*

Invoco, oro, precor; Latina. Invocatio, oratio, pro precatione, precibus, aut votis; intercedere item et intercessio; nostra. Divinum numen scelere violatum precibus placare. Cic.

Justificare, vide *Sanctificare.*

Jusjurandum Latina vox est, juramentum Latinis inusitatum.

Lavacrum apud Claud. et Gell. Lavatio apud Ciceronem legitur.

M

Malitia, κακία, quam vitiositatem Cicero mavult appellare, quam Malitiam. Malitiam enim certi cujusdam vitii, vitiositatem omnium nomen esse. Sic κακίας, vitia mavult, quam malitias nominare.

Maledicere, una vox; nostrum; pro, execrari, devovere, diris devovere, diras obnuntiare; Cicer. Maledictus item pro execrando, execrabili et detestabili, et maledictio pro execratione; nostra sunt. Sic benedicere. i. e. fausta precari, vel bene ominari. Benedictus item, et benedictio; nostratia.

Mandere, et Mandi, Cic. Manducare rarum, Manducari vix invenitur.

Mediator, pro advocato, aut patrono, nostrum. Intercessor apud Senecam pro mediatore; sed aliud Ciceroni significant Intercessor, et Intercedere.

Membra Christi, aut Membra corporis Christi, locutionès nostræ sunt. Vide *Caput*.

Minister Dei, minister Ecclesiæ, vel minister Ecclesiasticus, pro eo quem Sacerdotem dicimus, usurpari possunt. Sic enim Cicero loquitur; Ministri publici Martis, atque ei Deo consecrati.

Mortifico, Mortificatio; vide *Caro*.

Mundani, pro impiis, Mundus pro impiorum universitate, Seculum pro Mundo; nostratia. Res mundanæ, res incertæ, lubricæ, fluxæ, fugaces, caducæ. Cic.

O

Observare leges, Cicer. Observator legis, vix legitur apud Latinos.

Omnipotens, Plautus et Cicero, ex veteri poeta. Omnipotentia; nostrum. Præpotens, omnium rerum præpotens Deus. Cicer. Immensa, infinita, interminata magnitudo, potentia, &c.

Oratio, vide *Invoco*.

P

Peccator, pro nocente, sonte, impio, nefario; nostrum.

Peccatum originis, originale peccatum; nostratia. Origo peccati, Ovidius. Origo boni, Cicer. Nativum malum, insitum in natura malum. Cic. Naturale malum. Ovid. Cur non et naturale peccatum? Natura corrupta. Quintil. Natura mendosa. Hor. Natura depravata, Natura improbi, contra naturam depravati. Cic.

Passio, passus, vide *Crucifigo*.

Personæ in Trinitate; nostrum.

Pœnitentia, Livius, Plinius. Ex conscientia peccatorum timor. Cic. Pro quo nostri quidam contritionis nomine usi sunt. Resipisco usitatum, resipiscentia inusitatum Latinis.

Prædestinatio, præscientia. Vide *Electi*.

Profano, profanatio; Livius, Plinius, non Cicero. Violare sacra; Cicero. Violatio templi; Livius. Violator templi; Ovidius.

Propheta, et prophetia, Græc. Lat. Vates, vaticinatio, prædictio divina. Propheta, pro sacrarum literarum interprete; nostrum.

Proximus, vicinus, frater, charitatis vocabula, nobis sunt peculiaria. Frater, eum, qui eandem nobiscum religionem profitetur, significat. Proximus et vicinus, universitatem humani generis complectuntur. Fraternus amor, pro mutuo amore Christianorum; nostrum.

R

Remissio pœnæ, apud Cic. sic et culpæ remissio dici potest.

Resipiscentia, vide *Pœnitentia*.

Resurgo, Livius, et Ovidius. Revivisco, redivivus. Cic. Resurrectio, carnis resurrectio; nostra. Excitare aliquem a mortuis, Excitatio corporum a mortuis, pro conditione vitæ mortalis, immortalitatem consequi, Cic.

S

Salvare, salvator, salvatio, Latinis inaudita. Servare, servator, servatrix, liberator, liberatio, Latina sunt. Redemptor, id est, servator aut liberator; nostrum.

Sacramentum, pro mysteriis Divinis; nostrum. Baptismus Græc. Lat. immersio vel intinctio, lavatio salutaris, expiatio aqua salutari. Cœna Domini, vel Dominica, Communio, Eucharistia Græce, Latine gratiarum actio.

Sancti, sanctorum, sine substantivo addito, inusitatum Latinis. Sanctificare, sanctificatio; glorificare, glorificatio; justificare, justificatio, nostratia sunt. Sanctitas, sanctimonia, sanctitudo, Latina.

Sanctificare, et glorificare ad Deum relata, ut, sanctificetur nomen tuum; nostra. Sancte colatur, gloria, honore afficiatur; gloria Dei, vel nomen Dei amplificetur, celebretur, laudibus celebretur, amplitudo ejus illustretur, Ciceronis et Livii sunt.

Sanctificare et justificare, ad homines relata; ut Deus suos justificat, sanctificat; nostra; sanctos atque integros facit, efficit, reddit, sanctitati, innocentiæ atque integritati, vel in sanctitatem, atque innocentiam restituit, sanctorum atque innocentium loco habet, ponit, collocat, damnatos in integrum restituit, &c. Latina. Fide, vel per fidem justificamur; nostrum. Justitiæ fundamentum fides; virtutum omnium fundamentum fides. Cicero. Justificus, qui justa facit. Catullus; Poeticum est.

Spiritus, spiritualis, vide *Caro*.

Scriptura, apud Ciceronem, non nisi pro stylo usurpatur. In Rhetorica ad Herennium, et Terent. propius ad nostrum sensum accedit. Sacræ literæ; profana pagina, Claud. cur non et sacra pagina? Verbum Dei pro sacris literis; nostrum; verbum veritatis pro sacra scriptura quid ni? ut verbum voluptatis apud Ciceronem.

Sensibilis, vide *Visibilis*.

T

Tentatio, pro sollicitatione ad vitia; et inducere in tentationem, usurpantur a nostris. Novi morborum tentationes. Cic.

Tractatio usitatior apud Cicer. quam tractatus; et Artis, philosophiæ, &c. tractatio vel tractatus; potius quam tractatio vel tractatus de arte, philosophia, &c.

Traditiones, pro doctrinis aut inventis humanis, pro opinionum commentis futilibus, et commentitiis sententiis, fabulis, nugis: nostrum.

Trinitas; nostrum. Trinus, ternus, vel terni potius: Triplex, triplus, Latina sunt; verum hic, ut alibi sæpe, pietatis potius, quam Latinitatis rationem habere oportet.

V

Venerandus ad Deum, et religionem fere semper; honorandus ad homines refertur a Cic. Reverendus, reverendissimus, in titulis consuetudini condonantur.

Verbum Dei, vide *Scriptura*.

Vetus homo, vide *Caro*.

Vita nova, pro innocentia; nostrum. Latine, studium innocentiæ atque sanctitatis. Avocare animum a vitiis, a peccatis; pravos affectus et appetitus vitiosos frænare. Cic. Rarum est quoddam genus eorum, qui

se a corpore avocant, et ad divinarum rerum cognitionem cura omni, studioque rapiuntur.

Visus raro, aspectus sæpe apud Cicer.

Visibilis, et sensibilis, Plinii, non Ciceronis; conspicuus, aspectabilis, spectabilis, sub oculos, sub aspectum cadens, vel veniens, sub oculorum sensum cadens, sub sensibus, in sensum cadens, in sensum credendi cadens, percipere sensibus, Ciceronis sunt. Invisibilis, ut gratia invisibilis, Latinum non est. Occultus, abditus, tectus, non conspicuus, Latina sunt.

Unitas, Col. Plin. non Cicero.

Z

Zelotypus, vel Zelotes potius, et Zelotypia, Græca sunt. Socii impatiens, socii impatientia, Plinii sunt potius quam Ciceronis. Zelotypia, inquit Cicero, est ægritudo ex eo, quod alter potiatur eo, quod ipse concupiverit.

A CATECHISME,

or first Instruction and Learning of Christian Religion.

¶ *Translated out of Latine into Englishe.*

¶ AT LONDON.

Printed by Iohn Daye
dwelling ouer Aldersgate.

¶ *Cum Priuilegio Regiæ Maiestatis per Decennium.*

AN. 1570.

ℭ To the most reverend Fathers in God, my Lords, Matthew Archbishop of Canterbury, and Edmond archbishop of York, and to the reverend father in God, Edwin, my lord bishop of London, and to all the other reverend fathers, my lords the bishops of all the several dioceses in England.

May it please your good graces and fatherhoods to permit me, with all humility and reverence to render you in this preface an accompt of my purpose and doing in publishing this Catechism by me translated, and offered to the church of England under protection of your names.

Whereas there was very lately a Latin Catechism printed, wherein the sum of Christian religion was set forth in short questions and answers, yet not containing bare and naked affirmations only, but shewing also some causes and reasons to the same annexed, and well furnished with places of scripture noted in the margin for proof thereof: in which Catechism there hath also great labour and diligence been bestowed about the purity of the Latin tongue, that such as were studious of that language, specially the youth, might at once with one labour learn the truth of religion and the pureness of the Latin tongue together. That Catechism I have thought good to translate into English, as well for the use of such as understand no Latin at all, as also for their commodity, who, having a little sight in that language, desire some more perfection therein. For which cause I have not used that liberty in rendering the sense at large which the order of translation doth permit unto me, but have willingly, for the benefit of the meaner learned, tied myself very much to observing of the words themselves, but so yet that I had alway regard to the natural property and easiness of our native tongue.

This book as it will be profitable to such as do understand English only, so will it bring double profit to those, who, being somewhat skilled in the Latin tongue and desiring more skill, will compare the Latin book with the English, whereby they may at once learn, as I said, the truth of religion and the purity of the Latin tongue. And, lest the reader desirous to compare any the parts or sentences of the Latin and English books might be hindered, I have procured that the English print answereth the Latin, page for page, throughout the whole books, so that any sentence may at the first easily be found in both the books. This exercise in my opinion is most meet for the use of such ecclesiastical ministers and studious youth as have not yet the perfect knowledge either of religion or of the Latin speech, who by experience may find (as I think) more profit hereby than they would suppose upon the first view. Neither is this conference of translations by them who be very well learned judged unprofitable for such as are competently learned.

The book hath also one further use of very good exercise for those that desire to see more at large how the doctrine herein taught is confirmed by the word of God, the only rule of true religion; that is, if such as shall read it to learn truth, but specially ecclesiastical ministers whose charge is to teach truth, shall resort to the places of scripture noted in the margin, and read them in the Bible at large, and then mark how each thing here affirmed is there well confirmed, and how the doctrine here delivered is not only in all parts fully approved by God's holy word, but also for the most part uttered in the very words of the text, so far as may be with respect of pureness of the Latin phrase; by which mean they shall also be occasioned to be better acquainted with the scriptures themselves and with the true and natural understanding of them. And therein be it remembered that the last numbers in the quotations, shewing the divisions within the chapters, are gathered according to the great Bible last printed. This

exercise whoso shall assay shall find it of marvellous great profit, both for conceiving truth to the satisfying of conscience, and for delivering truth to the discharge of duty.

It may perhaps be marvelled of some, why throughout the book, as well in the Latin as in this translated, the master asketh, the scholar answereth, and ever the declaration of the matter is put in the scholar's mouth, so as some may muse why the scholar may seem to be made wiser than the master. This objection hath easy answer; and such answer as it hath I thought meet to disclose. It may not be thought that the master here inquireth of the scholar as desirous to learn of him, nor that the scholar informeth the master as presuming to teach him. But the master opposeth the scholar to see how he hath profited, and the scholar rendereth to the master to give accompt of his memory and diligence. And that it may appear that this order of opposing by the master and rendering by the scholar for good reason might seem to the author more convenient than the other form which some other writers of catechisms have used, that is, of inquiring by the scholar and teaching by the master, (without prejudice alway or condemning the other) it may be remembered that the end and purpose of catechism is in good and natural order fitly applied to serve the good use of confirmation by the bishop, at which time the bishop which confirmeth doth not teach but examine, and in his whole manner of opposing useth such form as here in like sort the *Catechumenus* or child is prepared unto; which is also not done without example, for the same manner is in the short catechism now used in the Church of England at confirmation.

Now surely there are no greater means of advancing true religion and rooting out of errors than these two, that is to say, catechism or good instruction of youth, and good information of ecclesiastical ministers in sound truth, and the proofs thereof, howsoever perhaps they may lack some full furniture of other learnings. And therewith for my part I

have long thought it a much better way toward removing of heresies and superstitions (whereof Rome hath brought us and left us plenty) to deal first with plain setting out of truth as not in controversy, without dealing at the beginning with the strife of confutation. For so both discretion and charity in the teacher is easilier kept, and truth once being settled, error will fall of itself, so that he which hath once thus with conference of God's word conceived a certain and stayed judgment of truth, shall either wonder how absurd errors have been received, or shall with less peril hear them talked of.

These things all considered, and how this book serveth to all these good ends, and therewithal remembered how it hath pleased almighty God of his great goodness and love, and to the singular benefit of this his church of England, under the queen's most excellent majesty the most honourable instrument of advancing his religion and glory in her dominions and of bringing truth and peace to the consciences of her subjects, to ordain your graces and fatherhoods the chief pastors and governors of his flock for doctrine and all ecclesiastical duties: the first author of this book in Latin had very good reason to offer his work unto you, that as the people of God's flock in England are under your charge, so they might receive so great a benefit as this is under your name, and thereby you our governors on the one part might be the rather moved to further so good intention, and we all under your governance on the other part be made more ready to receive it with better assurance of good allowance, and to thank God, the giver of all good things and guider of all good doings and purposes, and (as meet is) that we and our posterity, so long as an English child or other shall in this Catechism learn Christianity, may keep in thankful remembrance the happiness of these good times, the blessed memory of her majesty, and the good names of you God's good ministers, now chief pastors of this his flock, in whose time (to your and our comfortable consideration be it spoken) God hath so

liberally spread among us the light of his gospel, and (praised be he, and happy be ye therefore) hath made you his faithful dispensers of so great a grace.

The same reasons that so moved the first author have also moved me to offer my translation unto you, comprising herein as patrons all the fathers and lords of the clergy, but specially and by name your graces my lords the archbishops, to whose provinces the whole realm pertaineth, and your fatherhood my lord of London, to whose diocese London a light to the rest of England belongeth, and to whom myself dwelling within your charge do owe particular duty.

This my intent and labour being to do good to as many and largely as I possibly could, if I shall understand to be with the readers taken in good part and used to their benefit (as the rather by your good means, and names it may be), I shall think my travail very well bestowed, holding myself in the meantime contented with the conscience of a good meaning bent to do good so far as my skill and power would extend.

The success hereof I commit to God, the judgment I submit to you, for whom and whose zeal I praise God, and pray to him for your preservation to the benefit of his Church.

(∴)

Your most humble. *T. Norton.*

NOWELL'S CATECHISM.

THE MASTER. THE SCHOLAR.

Master. Forasmuch as the master ought to be to his scholars a second parent and father, not of their bodies, but of their minds, I see it belongeth to the order of my duty, my dear child, not so much to instruct thee civilly in learning and good manners, as to furnish thy mind, and that in thy tender years, with good opinions and true religion. [a]For this age of childhood ought no less, yea, also much more, to be trained with good lessons to godliness, than with good arts to humanity: wherefore I thought meet to examine thee by certain short questions, that I may surely know whether thou have well bestowed thy study and labour therein, or no.

The Master's duty.

Godliness in childhood.

